

Rhetorica Plena ac referta exemplis

Auteur(s) : Sarcerius, Erasmus

Présentation

Titre longRhetorica Plena ac referta exemplis, quae succinctarum declamationum loco esse possunt

Lieu de publicationMarbourg

Imprimeur(s)-Libraire(s)Cervicornus, Eucharius

Date1537

Les folios

En passant la souris sur une vignette, le titre de l'image apparaît.

226 Fichier(s)

Les mots clés

[Rhétorique](#)

Citer cette page

Sarcerius, Erasmus, Rhetorica Plena ac referta exemplis, 1537

Blandine Perona (laboratoire Larsh / IUF) ; EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle)

Consulté le 30/11/2025 sur la plate-forme EMAN :

<https://eman-archives.org/Antibarbari/items/show/16>

Précisions sur l'exemplaire

LangueLatin

SourceBayerische Staatsbibliothek, Ph.sp. 740#Beibd.1

Format

- 226 p.
- in-8

Informations complémentaires

USTC[691069](#)

ContributeurPerona, Blandine (édition scientifique)

ÉditeurBlandine Perona (laboratoire Larsh / IUF) ; EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle)

Droits

- Fiche : Blandine Perona (laboratoire Larsh / IUF) ; EMAN (Thalim, CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle). Licence Creative Commons Attribution - Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Texte : [Utilisation non-commerciale seulement](#).

Source de la numérisation[MDZ Digitale Bibliothek](#)


Éléments d'analyse

DescriptionCette rhétorique, écrite par un disciple de Melanchthon, présente l'originalité de donner des développements théoriques succincts, mais, ainsi qu'elle l'indique, d'abondants exemples de plans de déclamations extrêmement éclairants sur les genres du discours et les lieux correspondants.

Mots-clésRhétorique

Notice créée par [Blandine Perona](#) Notice créée le 13/11/2023 Dernière modification le 13/03/2024

Cette notice comporte plus de 200 fichiers.
Seuls les 200 premiers sont contenus dans ce document.
Contactez l'administrateur si vous souhaitez obtenir une version complète.



**IN RHETORICAS M. ERA
smi Sarcerij Annæmontani lucubras
tiones Decastichon Reinhardi
Hadamarij, ad studiosam
iuuentutem,**

**Res factu levis est, alienos capere, prima
Fronte, Bionæo rodere & ore libros.
Non uisos unguī consueta notare labores,
Scurrilis, nullo mens sed honesta modo
Re pendente nihil Iudex determinat æquus,
Omnia sed tetrico pectore Momus agit.
Rhetorices artem, simul ac Dialectica scripsit
Sarcerius, pueris profit ut usq; bonis.
Quàm non uisa linas succo loliginis, æqua
Delibrare decet scripta bilance prius.**

2
M. ERAS. SARCERIVS

Annæmontanus, optimo ac eruditis-
simo uiro M. Guilielmo knutellio,
nobilissimi Comitatus Nassen-
sis, iuniori Secretario

S. D. P.

N Eminem latere arbitror, optime
Guilielme, quasdam esse artes, quas
uel sola demonstratione addiscere
oportet, è quarum numero non est
postrema ipsa Rhetorica. Hæc quanq̃ præce-
ptis opus habet, tamen paucis & illis perspi-
cuis est contenta, tantum requirens uiuam de-
monstrationem, & usum, non sine labore, se-
dulum. Placuit itaq; ad meorum puerorū pre-
ces, iuxta præscriptum Rhetorices, syluā quan-
dam exemplorum conscribere, non aliam ob
causam, nisi ut discipulorū adfectibus satisfacere
rem, simulq; docerem, id uerum esse, quod de
quibusdam artibus dicitur, eas scilicet usu &
exemplorum demonstratione, potius q̃ nudis
præceptis addisci posse. Volui aut̃ sub tuo no-
mine hunc meum laborem prodire in publi-
cum, cū quia Rhetorices peritissimus es, tum
quia singulari studio amas præcepta, multis
exemplis illustrata. Vale Sigenæ Teugro-
rum, 17. Nouembris, Anno. 1536.

Index exemplorum,

Exempla	Personarū in	{	Laudem Thucydidis.
			Laudē Vergilij. (ni
			Laudē Cornelij Pruli-
	Factorum in	{	Factum Iosue, cū euerte-
			ret Hiericho urbem.
			Factum Davidis cū oc-
			cideret Goliath.
	Rerum in	{	Laudem uirtutis.
			Laudem iustitiæ.
	Regionum in	{	Laudem Misniæ.
			Laudem Saxonix.
	Vrbium in	{	Laudem Lubecæ.
			Laudem Lipsiæ.
	Fluuiorum in	{	Laudem Danubij.
			Laudem Rheni.
	Domorū in	{	Laudē dom' Reimūdi
			Fuggerij ciuis Augu.
			Laudem domus Henri-
			ci Fpulichij.
	Nauium in	{	Laudem nauis Hiero-
			nis regis Syracusan.
	Agrorum in	{	Laudē agri dorophagi.
			Laudem agri Martini
			Spulerij.

Montium in { Laudē Aethnae mōtis.
Laudem Atlātis Mauritaniae montis.

Ahortatio ad Theologiae studium.

Adhortatio ad Obedientiam.

Exemplum Suasorium ad suscipiendū bellum
contra Turcam.

Exemplum dissuasorium, ne suscipiatur bel-
lum contra Turcam.

Didacticum exemplum de Baptismo.

Aliud de Pœnitentia.

Aliud de Magistratu.

Aliud Thematis coniuncti, an fides charitatis
fundamentum sit.

Aliud, an Philosopho uxor ducenda sit.

Exemplum status coniecturalis, an Vlysses
Aiacem occiderit.

Exemplum iuridicialis absoluti. Non licet Ec-
clesiastica bona cōtrahere in priuatū usum.

Exemplum iuridicialis assumptiui. Nicolaus
iure occidit Petrum.

Exemplum definitiōis, in quo Petrus accusat
Nicolaum sacrilegij,

Exemplum legum contrariarum, de suspēden-
dis furibus.

Exemplum scripti & sententiæ, in quo expli-
cantur uerba cœnæ: Hoc est corpus meū.

Exemplum status ambigui, de uerbis Ioannis
Frobenij testatoris.

4

Aliud patrisfamilias, cum institueret hæredē.
 Exemplū ratiocinatiōis, in quo defenditur ba-
 ptismus paruulorū aduersus Anabaptistas.
 Exemplum status translationis, in quo Mar-
 tinus suspendit iudicium.



De generibus Causarum.

Genera causarū sunt quatuor,	{	Demonstratiuum
		Deliberatiuum
		Iudiciale
		Dialecticum

De partibus orationis:

Partes orōnis 6. sunt.	{	Exordium	Huius partes sunt, be- neuolentia, attētio, docilitas,
		Narratio	} Hæ narrāt et pponūt
		Propositio	
		Cōfirmatio	Hæc confirmamus proposita.
		Confutatio	Hæc cōfutat & refel- lit contraria.
	{	Epilogus	Hic repetit præcipua argumenta, & mo- uet adfectus.

De genere demonstratiuo.

Genus demonstratiuum est, quo laudamus
aut uituperamus. Et est triplex: Personarū, fa-
ctorum, & rerum. Sub rebus comprehēdun-
tur descriptiones regionum, urbium, fluuiio-
rum, domorum, agrorum, montium &c.

De genere demonstratiuo personarum.

Hoc genere laudātur uel uituperātur psonæ.

Exordium

Partes ora- tiōis in hoc genere,	{	Narratio Confutatio Epilogus	{	Hac raro utimur ga nemo laudat inhonesta aut du- (bia.
--	---	------------------------------------	---	---

De locis narrationis.

Loci narra- tiōis in hoc gñe.	{	Natales pueritia adolesc. iunētus senectus Mors,	{	Ad hos referri possunt.	Genus, natio, patria, sexus educatio institutio, mores studi. sodalita, cōditio uite Res geste publ & priuati Cōsilia in Remp. collata. Accidentia circa mortem.
---	---	---	---	-------------------------------	---

QVID IN PRÆDICTIS LOCIS
obseruandum sit.

Natales enarrant statum & conditionem,
auorum, proauorum, parentum, cognatorū,
consanguineorum &c. Item res gestas, ut qd
egerint, & quibus rebus gestis floruerint,

Natio, mores & ritus populi. Et quia quæuis
natio (ut dicitur in prouerbio) artem alit, pro-
dest hic eam, quam maxime propriam habet,
recensere. Sic Sueui loquaces sunt, Helueti ho-

6
Ipirales, Saxones bibuli.

Patria locū seu sitū, atq; adeo oīa ea cōtinet,
a quibus laudantur uel uituperantur urbes.

Sexus uiros grauitate & cōstantia extollit.
Mulieres fragilitate & inconstantia extenuat,
uel excusat.

In educatiōe, institutiōe, moribus & sodali-
tatis cōsiderantur nutrices, æquales, præcepto-
res. Itē quomodo quisq; uixerit, et apud quos,
præterea quomodo nunc uiuat.

Studia & cōditio uitæ agūt de exercitijs, quibus mēs, atq; adeo totū corpus humanū exercitari potest, ut sunt artes liberales, & quæ eis cognatæ sunt, ueluti gladiatoria, testudinaria &c. Et uocantur hic studia ea oīa, ad quæ natura quæpensus est. Cōditio uitæ magis respicit ad externa illa et manuaria artificia seu exercitia.

Res gestæ explicant facinora, siue foris, siue domi facta.

Consilia non nisi experientia sunt probata.
Igitur iure ad senectutem referuntur.

In morte disputatur de constantia animi erga mortis dolores infracti, de pompis funebribus, de fama, quæ est secuta mortē, atq; adeo de omnibus rebus, quæ circa mortem coniungunt.

Exemplum commendatæ personæ,
in quo Thucydides laudatur.

EXORDIUM.

Non imprudenter agunt, prudētissimi uiri, qui

¶
q̄ maxime studēt illos cōmendare, q̄ sunt hone-
sti p̄ximiq̄q̄ accedūt ad uiri humani nomen, ut
dū tales laudant, & ipsi honesti ac humani ab
oībus iudicētur, tanquā studiosi honestatis, q̄
in p̄sonis cōmendatur. Quæ quidē p̄mia, aliorū
exēplo, dū & ipse adfecto, institui Thucydide
historiographū cōmēdare uobis, ut tanti uiri
laude, & mihi apud uos aliquid gratiæ atq̄ æsti-
mationis cōciliem. Quo aut̄ meū institutū feli-
citer expediā, oro ac obtestor uos p̄ cōmunē
nostrorū studiorū amicitia, ut me paucis dicē-
tem doctissimi historiographi præconia pa-
tientibus auribus audiat̄is.

A NATALIBVS.

Hic in urbe Athenarū natus est, q̄ ipsi uitā
& artē p̄stitit, ubi & aui pauciq̄q̄ eius, uiri et mo-
rum integritate & egregijs factis splēdidissi-
mi, unā cū parētibus, magna oīum admiratio-
ne, uixere.

A PVERITIA.

Hic puer in Repub. Atheniēsi, cū bonis mo-
ribus, tū legibus educatus fuit, optimisq̄ insti-
tutus literis.

AB ADOLESCENT.

Adolescēs ne bona studia armis priuaret,
nec bellū à sapiētia separaret, exercitiū ducere
cœpit. Bellū & literarū studia, q̄ alioqui natu-
ra sunt seiuncta, in unum copulauit.

A IUVVENTUTE.

Græcorū res gestas diligētissime cōscripsit,
Plateæ captiuitatē p̄didit, Atticā deuastatā ob

oculos posuit, Peloponesum nauigabilem pri-
mus pronunciauit, Nauales pugnas exercuit
Naupactus. Hæc & alia multa præstitit Thu-
cydides, & quæ Græci fortiter egere, interire
non est passus. A SENECTUTE.

Senio confectus, & consilijs & alijs rebus
omnibus, quibus potuit, non solum patriæ, sed
& multis alijs regiõibus summa cū laude præ-
fuit. A MORTE.

Tādē morte obrutus, deo naturæq; cōcessit,
cum apud deos immortales, tū apud homines
maximam laudem adeptus est,

Locos narrationis sequeretur confutatio, si
in hoc exemplo ea opus haberemus. Sed quia
nemo bonus contradicet prædictis, igitur cō-
futationem omisimus.

Confutationem sequitur Epilogus, hic sta-
tim subiiciendus locis narrationis, idq; ppter
absentiam confutationis.

Aliud exemplum in laudē Vergilii.

EXORDIUM.

Cum multorū, immo oīum doctōrū homi-
num iudicio constet, grauissimi uiri, Vergiliū
oīum poëtarū principē esse. Ecquid huius lau-
des, apud uos laudatissimos uiros decātare ius-
tum est? sane iustissimū, qui & uos, à primis
uestroꝝ studioꝝ exordijs, animos ad Vergili
arā maiestātē adiecistis, Quo inquā Vergilio
non est poëta excellētior, neq; necessarius ma

gis, si uel prudentiam in rebus, uel elegantiam
in sermone spectaueritis. Et ut prophetae in sa-
cris literis habentur, sic Vergilius in ciuilibus
scriptis merito habendus est. De tanto itaque po-
eta, me uerba faciente, æquis animis ut audiatis,
oro. Dicam enim quam potero breuissime, ut nec
me dixisse, nec uos auscultasse poeniteat.

A NATALIBVS,

Hic à parentibus quidē pauperibus, p̄bis ta-
men ac honestis, Marone patre, & Maia ma-
tre natus. Nec refert quibus parentibus q̄s or-
tus sit, modo uirtuosis, Sub Cneo Pōpeio Ma-
gno & Marco Licinio Consulibus. Quē cum
mater pręgnans in utero gestaret, somniauit
se laureū enixuram ramū, quem cōtacta terra
confestim cerneret coaluisse & excreuisse.

A PVERITIA,

Initiū ætatis suæ usq; ad septimū annū, Cre-
monæ pegit, ubi cū multi essent uiri docti, do-
cte educatus fuit, ibiq; & literarū fundamenta
imbibit.

AB ADOLESCENTIA,

Cū uero uigesimū suæ ætatis annū ageret,
uel ut alij uolunt, decimūseptimum, uirilē to-
gam adeptus est. Relicta Cremona Mediola-
num petijt. Deinde Neapolim, ubi & Græcis
& Latinis literis uehementissime operā dedit,
post quæ studia, omnem postea curam in Me-
dicinam et Mathematicam deiecit.

A IUVVENTUTE,

In hac ætate, ut suis studijs, literariæ Reipublicæ proderet, atq; suū erga posteros amorē ostēderet, Bucolica scripsit, Georgica in honorem Mæcenatis ædedit. Nouissime Aeneida est aggressus, de qua, cū uix cœpta esset, in hunc modū Pompeius pronunciauit.

Cedite Romani scriptores, cedite Graij,

Nescio quid maius nascitur iliade.

A SENECTUTE.

Senex multis consilijs, cum Augustū, tum cæteros Romanos procures iuuat, & eā, quam prius uix apertam ac cognitam uoluit eloquētiā, liberrime exercuit.

A MORTE.

Postremo cum Athenas proficisci institueret, atq; uisendi gratia Megaram Athenis proximam peteret, in aduersam ualeitudinem incidit, qua accepta, Brundisiū abiit, ubi post paucos dies extremum diem clausit, quē post mortem ea est secuta gloria, quod apud superos beatus, apud homines alter Homerus dicatur.

Confutatio hic locum habere potest, cōtra Vergiliomastygas, contra Tarbiliū Grammaticum, q̄ librū de Vergilij erroribus cōposuit, contra Caligulam Cæsarē, qui non ueritus est Vergilium appellare ineptum hominem, nullo ingenio, minimaq; doctrina præditum. Verum apud solide doctos, tāta est Vergilij laus, ut nullis laudibus seu encomijs crescat, nullis

us uituperatione minuatur?

EPILOGVS.

Cum itaq; tantus sit poëta Vergilius, merito igitur à nobis suspiciſ, utputa, qui linguā elegantī ſermone format, prudentiam docet, grauiſſima tandē tradit conſilia. Et ut cū Auguſtino concludā, uel ideo cōmendatus nobis Vergilius eſſe debet, quia poëta magnus eſt, omniūq; præclariffimus & optimus.

Aliud in laudem Cornelii Prufini,
per omnes fere locos, qui incidunt in perſonas, ſuccincte tractatum.

EXORDIUM.

Non eſt dubiū cādidiffimi uiri, quin merito iuſtā in reprehentionē incidam, qui hoc tēpore inſtituo cōmendare homines, quo nulla neq; uirtutis, neq; honeſtatis, ab ullo homine habetur ratio. Tamen cōſolatur me æquū ueſtrum iudicium, quod ubi ad illam perſonam acceſſerit, de qua uerba facere decreui, non dubito, quin meū inſtitutū, non ſolū placebit uobis, ſed etiā ſtupori ac admirationi erit, qđ inter tam corruptos mores, tñ adhuc pauci perſiterint, immo hic ex paucis illis unus, à tanta corruptiōe, ſalui. Agā uero de Cornelio Prufino, homine pio ac cōſtanti, cuius multa beneficia, tam in cōmunem noſtram patriā, quā in nos ex æquo omnes, extāt, & quāto nunc huius Corneli bñfacta plura ac maiora ſunt,

22
fatto quoq; maiori attētionē, de illius laudibus
& egregijs factis me dicentem audietis.

Narrationis loci.

Et quia genus ante oīa suspicitur, idq; ppter
publicā honestatē. Cornelius Prusinus hone-
stissimis ac optimis parentibus ortus est.

A NATIONE.

Saxo, ob id studiosus, humanus, suæ famæ
studiosissimus cultor atq; defensor.

A PATRIA.

Lubecam Septentrionalis plagæ urbem, ac
totius Septentrionis Metropolim, & diuitijs
& frequenti mercatorum concursu celeberr-
imam est adeptus.

AB AETATE.

Puer bonā oībus de se spē p̄buit. Discēdo ac
obediēdo facile oēs suos æquales post se relin-
quens.

AB EDUCATIONE.

Probe educatus est, & sub Arnoldo Fuggio
p̄ceptore fidelissime in bonis artib⁹ institutus.

A SEXU ET MORIBVS.

Et quia ex p̄dictis iam apertū est, cuius sit se-
xus, de quo hic loquimur, Cornelius, tñ hoc
addendū putavi, ut quantum ad mōres attinet
moribus est uirgo.

AB ADOLESCENTIA, SODA-
licijs, studijs & conditione.

Maturior ætas nō infimæ fortunæ & p̄bita-
tis sodalicio Corneliū donauit, nimirū ijs soda-
libus, qui literarū & essent studiosi, & triū lin-

guarū peritissimi, cum quibus unā adiecit animum ad Iurisprudentiam, in qua breui etiam tanta laude est uersatus, quod Doctoratus insignia sit adeptus.

A REBUS GESTIS & consilijs.

In iuuetute cōstitutus, Remp. Vuismariensem, ob frumētarias quasdā leges sanciedas, discordātem, magna prudētia in concordia reduxit. Hostē Pātophagū, mēcia obsidiōe cingentē, pfligauit. Consilijs quāmplurimis iuuat maritimas urbes, et adhuc iuuat, cuius domus ad omnis generis consilia, ut olim tēplū Apollinis in Delphis ad oracula, patet.

A MORTE.

Locus de morte negligēdus est, quia adhuc in uiuis est Cornelius.

Cōfutatione hic nō est opus, nemo em̄, qui nouit Corneliū, de eius integritate dubitat.

Epilogus mouet adfectus, & enumerat potissima argumenta commendationis, quibus proponitur amandus & diligēdus Cornelius.

Appendix de personis.

Eadē est ratio uituperā personarū. Est enim Aristotele teste contrariorū eadem doctrina.

De genere demonstratiui factorum.

Genus demonstratiuū factorū est, in quo laudantur uel uituperantur facta.

Partes
orōnis
in hoc
genere

Exordium

Narratio

Hac raro utimur, q̄ statim
sequitur propositio.

Confirmatio

Confutatio

Neq; huius magnus est
hic usus.

Epilogus.

De locis confirmationis.

Loci
confir-
matio-
nis sex

Honestum

Vtile

Facile

Difficile

Possibile

Impossibile.

De circumstantiis ludentes circa factorum tractationem.

Circumstantia sex,

Quis

Querit de personis expe-
ditioribus facti.

Quid

Est propositio facti.

Vbi

Respicit ad locum.

Quibus auxilijs

Auxilia spectāt ad presi-
dia qbus expeditur factū

Quur

Agit de fine seu utilitate
facti.

Quomodo

Pertinet proprie ad quali-
tatem facti.

Quando.

Interrogat de tēpore facti.

Appendix de circumstantiis.

Vsus circumstantiarum pertinet ad ampli-
ficationem facti: Incidunt autem ubiq; in tra-
ctationem factorum, neq; sunt certo alicui lo-
co alligatæ.

Paradigma facti Dauidis cum occideret Goliath.

EXORDIUM.

In humanis rebus, ornatissimi auditores, si
quis è humili statu ad altiora surgit, id ipsum
iuxta iudicium rationis adscribitur fortunæ,
quam quia experti sunt homines, pro uicissi-
tudine rerum, nunc infimos ad summa hono-
ris fastigia extollere, nunc sublato ad sydera
usq; deicere rursus, & spoliare honoribus.
Hinc accidit quod fortuna apud ueteres gētes
pro dea adorata sit, nec minus etiam honoris
illi à nobis hætenus contigit, anteqnā per uer-
bum melius instituti, meliora didicimus. Ni-
mirum quod tantæ uicissitudines, quæ ultro
citroq; in humanis rebus occurrunt, nō teme-
rariæ fortunæ, sed diuinæ dispositioni ac uolū-
tati sint adscribendæ. Sic & de hoc facto iudi-
candum est, quod in præsentiarum uobis cō-
mendare institui, quomodo Dauid è humili-
bus parentibus ortus, solius dei præsidio, ad
summos honores transcendit, dum uicisset a-
trocissimum Philistæum Goliath, nullo mar

re ab Israëlitis uincēdū. Itaq; quē deus uult ad honores extollere, nō ipsa fortuna, sicut impij gētes loquūtur, ille sine impedimēto extollitur, nolint uelint potentissimi quicq;. Ad eundem modum quem deus uult deſcere, sit quantumuis potens ac robustus, immo ipse Goliath, tamen diuinæ potentiz cedere cogitur. Et quia deus uolebat Dauidem clarū facere in conspectu Israël & deſcere Saulem & Goliath. Idcirco permisit Philistinos contra Israël progredi, quo deus postea insigni factō, per Dauidem expedito, declararet, quantam haberet pro suis curam. De hoc factō nunc porro uobis beneuolenter audientibus, agam.

Narratio quam statim sequitur Propositio.

Accidit semel quod deus dilectum sibi Dauidem, uiuente adhuc Saule, uellet coram Israël clarum facere, excitauit in hoc Philistinos, qui cum Israël manus consererent praeliarenturq;. Et cum uterq; exercitus, Philistinus staret super montem ex una parte, Israël super montem ex altera parte uallisq; esset inter illos. Egressus est uir spurius de castris Philistinorum, nomine Goliath de Geth altitudinis cubitorū sex. Hic cū pceritate corporis & uiribus, adeoq; frequētissima expositulatiōe, quā minis ferocibus ornabat, omni

bus Israëlitis timorem incuteret, ita qđ nemo auderet contra illū progredi in certamē. Deus tandē ut liberaret Israël & ostēderet humanā fiduciā, unā cū armis ad uictoriā nihil ualere: Præterea ut coram Israël illustrē redderet Dauidem. Idcirco hunc filium Ephratæi de Bethleem Iuda, cui nomen Isai erat, excitauit, qui etate puer, diuina tñ clemētia infensissimū Isrāēlitarū hostē, ipsum Goliath è medio sustulit.

AB HONESTO.

Et cum fortitudo animi non infima honestatis pars sit, ut in Mose, Aarone, Iosue et alijs fortibus ac magnanimis uiris cernitur. Quæso per deos immortales, quid honestius hoc facto accidere potuit, quo Dauid imperterritō animo, robustissimum Goliath, immanem beluam potius, quàm hominem, uictoriose prostrauit. Et quia Hercules, Decij & aliij magni ac robusti uiri propter fortia sua facta ab omnibus commendantur, sane ne hic Dauid sua carebit laude, uel ob eā causam, qđ ipse puer, tantū facinus peregerit, cū aliij robustis iam corporibus p̄diti, sua egregia facta p̄stiterint.

AB UTILI.

Verum cum id honestissimum habeatur, quod est utilissimum, seruiuit Dauid hoc facto, non priuatæ gloriæ aut utilitati, sed Reipublicæ Isrāēli, quam primum à tanto hoste liberauit. Deinde Iustitiam, & publicam

honestatem ab interitu seruauit, quæ oīa cor-
ruissent, si Philistini suorum uotorum facti fu-
issent compotes. Postremo & pietati seu obe-
dientiæ tam erga deum, quàm erga magistra-
tū satisfecit, quorū iussu accepit arma Dauid.

A FACILI ET POSSIBILI.

Facile autem erat Dauidi hoc factum con-
ficere, certa spe in corde suo obsignatus, diui-
noq; adiutus praesidio. Vbi enim deus est sua
ope, ibi non solum citra difficultatem uincun-
tur hostes mali, sed etiam ipse Satan oīm ma-
lorum autor. Difficile uero erat quantum ad
humanæ rationis iudicium attinet, quæ fortes
fortiorib⁹ superari credit, non pueris aut infir-
mis: Verū ut ratio in oībus dei operib⁹ cæca
est, ita et hic prorsus nihil uidet neq; intelligit

AB IMPOSSIBILI ET POSSIBILI.

Erat quoq; in primo congressu impossibile
factu, hominem Goliath tot armis tātaq; cor-
poris proceritate præditum uincere. Quare
etiam institutio facti ab Israëlitis temeritas iu-
dicata est, à quibusdam uero contempta & il-
lusa fuit, ita ut à fratribus proprijs rideretur.
At sic ludit ratio in occultis dei miraculis. Et
ita quod primum impossibile uidebatur apud
homines, id apud deum erat possibile, qui sem-
per suorum curam agit, & iuuat ubi nulla est
iuuandi occasio.

Sequuntur circumstantiæ quæ inse-
ri possunt toti orationi ampli-
ficationis gratia.

QVIS.

Hoc autem factum peregit David Israëlita
filius Isai de tribu Iuda, puer. Hæc circumstan-
tia supra in narrationem incidit.

QVID.

Goliath fortissimum Philistinorum Gygā-
tem non hominem interfecit. Hæc circumstā-
tia supra in propositione posita est.

VBI.

Circa uallem Terebinti.

QVIBVS AUXILIIS.

Nullis fere humanis præsijs usus est in
hoc facto David, ipse solus tantam uictoriam
adeptus: Nam cum Saul rex uestimentis suis
induisset Dauidem, & galeam æratam eius ca-
piti imposuisset, ea omnia abiecit David, tan-
tum diuino præsidio confusus, acceptis illis me-
dijs, quæ per occasionem ut tenuia & exigua
offerebantur, qualia erant baculus pastoralis,
& quinque lapides limpidissimi. Hæc circumstan-
tia uidetur supra in locis facilitatis, difficultatis
possibilitatis, & impossibilitatis.

QVVR.

Ob defensionem filiorum Israël, patriæ libera

b 3

nionē & propter iustitiam ac publicam honestatem retinendam, quæ corruissent ad uictoriam Philistini. Non ostentationis aut priuatae gloriæ causa, aut nominis parandi gratia, uti Decius & reliqui fecerunt, qui propter salutem patriæ, se deuouerunt dñs manibus. Pertinet hæc circumstantia ad locum utilitatis.

QVOMODO

Lapide in funda posito Goliath accessit, quem cum in hostem proiecisset, statim proruit in terram Goliath, prostratum proprio gladio peremit Dauid.

QUANDO.

Regnante Saule primo Israëuitarum rege, cum Philistini conuenissent cōtra Israël. Sux autem ætatis puer.

Confutatio raro incidit in laudes factorū, ubi uero ea opus est, confutamus obiecta argumenta, aut quæ obijci possunt.

EPILOGVS.

Quē igitur Dauidem, cum deus ipse tā magnifico facto coluit, merito uobis cōmendatū habebitis: Habebitis aut cōmendatū, quādo ad similia aut cognata egregia facta adieceritis animum, æqualibus officijs seruiueritis cōmuni utilitati.

Dixi.

Aliud in factum Iosue cum euerteret Hiericho.

Cum diuina prouidentia nihil non admini-

stret, & Deus operetur omnia in omnibus uel
 sicut Latini poematis pater ait : Certa stent
 omnia lege. Facile iam iudicare potestis, orna-
 tissimi uiri, deuastationem Hiericho urbis, de
 qua nunc agere institui, non temere, sed ex di-
 uina uoluntate, & illa quidem ab initio cōsti-
 tuta, accidisse: Certum enim est antequā iace-
 rentur orbis fundamenta, deum huic urbi in-
 teritum disposuisse, ut foret aliquando punitæ
 impietatis exemplum in mundo, qua meruit
 tandem Hiericho suæ perditionis diuinitus in
 hoc ordinatæ occasionē. Quo igitur deus suā
 uoluntatem in p̄dicta urbe expediret, & suis
 stare promissis, quibus patribus terrā promi-
 serat Chanaan (in qua, aut circa quā erat Hie-
 richo) Iosue filiū Nun ad expugnationem ele-
 git, qui ne destitueretur uiribus, in omnib⁹ de-
 um fidelissimum adiutorem habuit. Quantū
 uero & quale hoc sit factum per Iosue ducem
 expeditū, uobis diligenter auscultantibus, &
 breuiter & dilucide explicabo.

AB HONESTO.

Hoc facto nihil neq; honesti⁹ neq; excellētius
 unquā extitit. Quia hoc facto Iosue diuinæ uo-
 luntati à mūdi p̄cipio sic cōstitutæ satisfecit
 Id em̄ oīum iudicio honestissimū iudicatur q̄
 nō fit contra deū, sed diuino ex cōsilio aut mā-
 dato sic aliq̄d fieri iubente. Hinc etiam quoti-
 die oramus in Christi oratione; Fiat uoluntas

ma, hoc est, facias nos aptos, quo liceat ea nos
facere, quæ tibi nō displiceāt ò pater cælestis.

AB UTILI.

Id porro quod honestum est, & diuinæ uo-
luntati non contrarium, quin id quoq; utile
sit, neminem dubitare credo: Primum itaque
huius facti expeditione, parauit Iosue filius Is-
rael magnificam urbem, cuius uicini & circū
iacentes agri, non solum erant fertiles simpli-
citer, sed etiam melle & lacte fluentes. Deinde
priuatim fecit Iosue sibi hoc facto benignum
& propitium deum: Nimirum cuius uoluntati
fatisfecerat.

A POSSIBILI ET FACILI.

Nihil impossibile est, quod fide auspicatur,
qua certo sciebat Iosue hoc factum deo place-
re, & se cælitus expectare præsidium, quo ni-
hil non efficitur, etiam id, quod coram huma-
nis oculis impossibile uidetur.

De Circumstantiis huius facti.

Quia nemo bene commendat facta, & si cō-
firmationis locis stipatus sit, nisi & simul cir-
cumstantias in promptu habeat: Quare & hu-
us facti circumstantias placuit adijcere.

QVIS.

Iosue hoc factum fecit, filius Nun Israëlitarū
pauper parentibus, consilij uero & pruden-

zia abundans.

QVID.

Hiericho urbem expugnauit.

VBI.

In terra Chanaan.

QVIBVS AUXILIIS.

Dei & filiorum Israël.

QVVR.

Primum, ut dei præceptum exequeretur Iosue, & uoluntati diuinæ satisfaceret. Deinde ut filijs Israël potentissimam urbem pararet.

QVOMODO.

Septies iuxta dei uocem circumiens urbem, buccinis canens, ex quarum strepitu & clangore, deo sic disponente, muri corruerunt, quibus fractis ingressus est urbem Iosue.

QUANDO.

Cum populus secundario Iordanem transisset, mense primo.

Appendix de factis.

A contrarijs locis confirmationis uituperantur facta.

De genere demonstratiuo rerum.

Genus demonstratiuum rerum est, quo laudamus uel uituperamus res.

b s

Partes orationis
in hoc genere
sunt quinque.

{ Exordium,
Propositio,
Confirmatio,
Confutatio,
Epilogus,

De locis confirmationis.

Loci confirmationis
sunt quatuor.

{ Honestum,
Vtile,
Facile,
Difficile.

APPENDIX.

In hoc genere loci Dialectici plerumque præcurrunt locos confirmationis, propterea quia res laudari commodè non possunt, nisi prius quales sint, explicetur ac cognoscatur. Quos locos si quis non uoluerit seorsim tractare, is poterit eos comprehendere sub locis confirmationis ut sub honesto causas efficièntes atque adeo ipsam rerum definitionem: Effectus sub loco utilitatis, sub quo & cognata et partes complecti possunt Contraria sub confutatione. Quando autem tractantur loci Dialectici in hoc genere, obiter tantum inspargi debent, ac breuiter, ne quis docere uideatur, cum laudare tantum instituerit.

Loci dialectici sunt { Definitio,
Cause,
Partes,
Effectus,
Cognata,
Contraria } sub { Honesto
Utili
Nec sub confutatione } Comprehendi possunt.

Paradigma generis demonstratiui rerum in quo laudatur uirtus.

EXORDIUM.

Tragicus ille poëta Euripides, duas sapientum linguas esse prodidit. Alterā, qua uera, Alterā, qua ea, quæ tēpori forēt accōmoda pderemus. Humanissimi uiri ac iuuenes studiosissimi, probe quidē ille, qui singulari prudentia, qua is poëta pditus fuit, p̄cauere uoluit, ne sine iudicio, statim illa quæ in buccā uenirent, loqueremur in p̄blicū: sed cogitarem⁹ circū specte, quæ essent uerissima, et quæ maxime forent oportuna temporis. Quare cū uiderē hodie fere apud oēs hoīes ipsam uirtutē prorsus intercidiſſe, & nescio in quā Pathmō p̄scriptā auolaſſe: Igitur ē mille argumentis Virtutem elegi, quā oībus bonis uiris cōmendare decreui, ut si quos posſim hoc tēpore, rātæ rei cōmēdatione à uitijs deterrere, & collapsam uirtutē aliq̄ modo reuocare ad usum. Quod ubi fecerim arbitrabor me satis laudis adeptū simul q̄ Euripidi satisfecisse, cū q̄a uera p̄posuerim tū q̄a tēpori idonea dixerim, in q̄ uirt⁹ aut nulla p̄ſus, aut rara floret, & ut floreat me hac oratiōe sedulo laborare. Dicā uero paucissimis x̄bis summū uirtutis encomiū, q̄ nihil p̄stantius, nihil dulcius esse pōt: Et ut rē ipsam exordiar, commodè uideor mihi à uocis definitione auspicari.

A DEFINITIONE.

Est igitur uirtus habitus uoluntatis, uel principis animi qualitas, quæ inclinat ad agendum secundum rectam rationem. Hic singula uerba definitionis seorsim pro dignitate tractari possunt & amplificari.

A CAUSIS EFFICIENTIBVS.

Hanc uero non efficit hoc uel illud, aut si quod simile est externi, sed ipse animus siue uoluntas. Hic enim uirtutis scintillas primum ex diuina sorte (ut ait Socrates in Mnemone apud Platonem) concipit, mox conceptas fouet, tandem ad recte agendum impellit.

Appendix.

Materialis uirtutis causa nulla est, formalem accidentia monstrant.

A PARTIBVS SEV SPECIEBVS.

Eretrienfis ille apud Plutarchum in libello de uirtute, unam atq; a deo inseparabilem uirtutis substantiam esse scribit, semota uirtutum turba & speciebus, quasi una tantum uirtus sit multis nominibus appellata: Verum quia res propter species, quas sub se continet multas, non certo cognoscitur, nisi fuerit per partes explicata, ideo Ciceronis & aliorum doctissimorum uirorum autoritate moti, in has partes seu species uirtutem diuidimus: In prudē

tiam, iustitiam, fortitudinem & temperantiā.
Facit ad amplificationē si singulas partes Methodice ac breuiter tractaueris.

AB EFFECTIBVS & finali causa.

Huius est iam uirtutis beare hominem in hac terra, prudentem, iustum, bonum, fortem & temperantem efficere, qui omnia rationis iudicio atq; consensu agat, faciat recta, & non recta fugiat. Potest hic locus referuari, & debet quidem ad locum confirmationis, qui est ab utilitate.

A COGNATIS.

Cognata esse possunt ipsius uirtutis, præmii, gloria, honos: Item & hæc ad locum utilitatis referuari debent. Contraria in confutatione sunt tractanda.

Sequuntur nunc proprii confirmationis loci in hoc genere.

AB HONESTO.

Cum id demum honestum est, quod perfectionis nomen meretur, quid obsecro uirtute honestius? quid præstantius? à quo solū uiri boni ac perfecti appellantur, cuius fundamentum ipsa ratio est, semper prouocās humanas mentes ad optima.

AB UTILI.

Porro autem quas utilitates secum adferat

ipsa uirtus, nūc dicendum uenit. Primū em̄ adfert uirtus oīum rerū secundū naturā delectū ne barbariem pro humanitate, inciuiilia officia pro ciuilibus apprehendamus, docet seruare cōmunē societatem, efficit prudētes, iustos, in dictis ac factis constātes, fortes animos ac modestos facit. Tandē ad bene beateq; uiuendū in hac uita ducit, in omnibus rebus benignam se sociam uitæ & mortis comitem præbens.

A FACILI ET DIFFICILI.

Facile uero paratur uirtus, partim quod natura eius semina quædam nobis insculpserit, partim quod in nobis habitare credatur, Sicut Cicero ait 4. de Finibus, ubi ille uēdicat uirtuti altissimum in homine locū. Quæ quidem uirtutis semina, licet subinde in nobis propter uitiorū p̄sentiam obfuscātur, nunquā tamen prorsus extinguitur: Et quemadmodū rudis massa ē fodinis argēteis effossa, primo aspectu propter scorias nullū in se argentū habere creditur, antequā p̄batnr igni atq; elicatur, sic uirtus nō nisi uarijs actionibus p̄bata et à uitiorū scorijs purgata exerit se, atq; adesse sentitur. Siquidem uirtus in actione cognoscitur, quæ semel perspecta aut animaduersa suaues ac mirabiles agendi amores excitat. Quare frequentibus actionibus opus est ad parandam uirtutem. Et ut ille inquit, sæpe uirtuose agēdo si-

mus uirtuosi. Rursus difficilis est ad uirtutem aditus, quod plerique malunt cum lucro inhoneste uiuere, quàm cum uirtute esse honesti et pauperes: Quàmquam interim & uirtus sua habeat præmia, uberrimasque diuitias, ipsam scilicet gloriam, qua in hac uita, quid magis optandum sit, non uideo, quæ etiam citra opes uix unquam contigit. Ideo de difficultate nemo iuste queretur, modo non prorsus abhorreamus ab honesto. Et si quæ esset uirtutis difficultas, uti non est, quis quæso propter honestissimum utilissimumque hoc deorum donum, aliquot pericula adire grauaretur?

CONFUTATIO.

Restat postremo aduersariorum argumenta obiter attingere, quibus scelerosi quidam nebulones, sanctissimæ uirtuti obstrepere audent & omnem uoluptatem ac luxum illi præferre. Istis aduersarijs cum Plutarcho & Cicerone sic paucis respondeo, quod nulla res sit, neque in terra, neque sub terra, quæ possit uirtuti anteponi. Neque moramur hic calumnias Socratis in uirtutem, dum dicit & nescire se quid sit uirtus & unde nascatur, neque credat quenquam scientem extitisse. &c.

EPILOGVS.

Hæc sunt quæ uolui de uirtute dicere. Agite igitur humanissimi uiri, & adolescentes studiosissimi, atque ad hanc uirtutem amplectendam

animos inducite, qua nihil honestius neq; uti-
lius est, imò quæ uel sola ad bene honeste q;
agendum impellit.

Dixi.

Appendix.

Confutatio ab omnibus confirmationis lo-
cis deduci potest, à definitione, à causis, ab ho-
nesto, ab utili, & à facili uel difficili, ut definitio-
ni contrarium est, dicere, uirtutem esse quali-
tatem corporis, aut simile aliquid. Causis effi-
cientibus contrariatur, ut si dicas uirtutē profi-
cisci ex externa actione tantum &c.

Paradigma in laudem Iustitiæ.

Fecit conspectus uester omnium amplissi-
mus idemq; uigilantissimus, optimi uiri, quē
in proxima declamatione, meo antecessori p-
buis, ut nec ego dubitarem apud uos de iu-
stitia uerba facere, maxime etiam quum ita be-
neuolenter proxime de uirtute dicentem au-
diſtis, quæ istius iustitiæ mater est, quam hac
hora, pro mea uirili uobis proponendam sta-
tui: Verum quia clarissimam uirtutem nō estis
auerſati, ne iustitiam quidem, ut spero, auerſa-
bimini: Neq; offendet uos, quod hoc tempore
ea de re dicere instituerim, quæ apud nullos,
aut paucissimos reperitur, sic enim faciendum
fuit, ut raræ huius in terris iustitiæ commen-
datione, si non perfectum aliquod, tamen me-

diocre desiderium in hominibus erga iustitiam excitarem, qua nihil unquam contigit neq; melius, neq; honestius humano generi.

AB EFFICIENTE causa seu honesto.

Et quū non mediocrem commendationē humanis rebus ipsi inuentores reconciliant, quorum diligentia ac industria res sunt inuentæ. Atq; ea ab omnibus honestissima iudicantur, quæ uel ab ipsis dijs, uel à magnis hominibus traxerunt originem. Hæc uel hoc nomine digna erit commendatione, iustitia, quæ à summo Ioue inuenta est, & è cælo in hanc terram demissa, quo mortales habeant medium aliquod, quo summi rectoris & domini numē consilia, uoluntatemq; cognoscant. Item quid naturam ac rationem deceat, teneant. Hæc igitur unica est regula ad quam omnes sapientes suas leges composuerūt. Hæc humanæ societatis & prora & puppis est: Cuius etiam tāta est uis, ut Cicero ait. 2. Offici. quod nec illi quidem qui malefici ac scelerosi sunt, ea carere possint. Propter hanc maiores nostri ribemoratos reges constituisse uidentur. Itē sancisse leges. Hæc itaq; iustitia, quid honestius? quid libero homine dignius? E contra, quid inhonestius? quid inhumanius? quàm hæc iustitia carere? Est autem iustitia, de qua hic loquimur, uirtus, quæ dat unicuiq; quod suum est, id quod fit, quando neminem lædimus, nocere

12

mus nulli, communibus pro communibus,
priuatis autem, ut nostris utimur. Quæ quidē
præcepta iustitiæ, ex ipsa natura sunt profecta,
quæ naturaliter omnibus mentibus insculpta,
docent neminem laedere, & proximum suum
nulla afficere iniuria.

Sed ad iustitiæ partes explicandas me con-
fero, quæ secundum Cicero. libr. Rhetor. 2. hæ
sunt: Religio, pietas, gratia, uindictio, obser-
uantia, & ueritas. Hæ partes amplificationis
causa possunt methodice quoque tractari.

AB UTILI SEU EFFECTIBVS.

Hæc iam quàm honesta sit iustitia & quas
habeat partes, dixisse satis est. Nunc quæ iusti-
tiæ utilitates sint, paucis percipite. Hæc primū
non quæstuarie adfert commoda, sicut sordi-
dæ illæ artes, sed talia, quæ cum honestate con-
iuncta sunt, & ad communem societatem cō-
seruandam pertinent. Hæc cōmoda iuxta sen-
tentiam Cicer. lib. 1. Offic. Titu. de officiorum
inter se comparatione, aptiora & meliora sunt
omnibus alijs, siue nunc illa exognitione, si-
ue magnanimitate, siue etiam ex moderatio-
ne conflentur. Et ideo quia spectant ad homi-
num utilitatē, qua nihil esse debet homini an-
tiquius. Comprehenduntur uero iustitiæ utili-
tates, sub hac sequenti farragine. Primū huius
beneficio nemini nocemus, nisi acerba iniuria
lacessiti, communibus bonis pro cōmunibus

9

pacifici utimur, priuatis autem in summa continentia, ut nostris. His adde, ut non infima iustitiæ commoda, iuuare coniugem, liberos, familiam, cognatos, consanguineos, patriā &c. dare & accipere beneficia, uindicare infantes, obseruare maiores, In summa, unicuique dare quod suum est. Hac iustitia firmæ sunt Respublicæ, item omnes cōtractus, in quibus officiorum commutatio continetur. Hac præsentē in dictis ac factis constantes sumus, cessat mendacium, fraus, auaritia, in quorum locū succedunt, ueritas, beneficentia & liberalitas, quibus uirtutibus ostendimus nos, non in priuatum usum natos, sed communem ad utilitatē, Et ut semel summatim omnia iustitiæ commoda recenseam, hæc est uirtus illa, quæ sola conseruat societatem hominum.

A FACILI ET DIFFICILI.

Facile autem paratur hæc iustitia, ad quam nos ducit natura: Siquidem ut Cicero ait lib. 1. de legibus, nihil præstabilius est quàm plane intelligere nos ad iustitiam natos esse, neque opinione, sed natura, quæ docet, neminem lædere, unicuique dare quod suum est, tueri ac defendere cōiugē, liberos &c. Itē quā facile queat parari ipsa iustitia, hoc satis ostendit uera ratio, quæ bene sanos inuitat ad iustitiam, sicut Cic. 4. de finibus testatur: Imprudēter fingūt poëtæ, Lactātio teste lib. 5. diuinarū institu-

tionum, abisse iustitiam è mundo atq; in cælum commigrasse. In conspectu enim, inquit Lactantius, omnium est iustitia suscipite igitur eam, & in domicilio cordis uestri collocare. Estote æqui ac boni & sequetur uos sua spõte iustitia, quibus omnibus significat Lactantius facillimam esse, atq; adeo in nostris uiribus, parandæ iustitiæ occasionē. Rursum quia iustitia omnium uirtutum præclarissima est, Quare in primo congressu uidetur nonnihil difficultatis habere, cuius quidem hæc est causa, quod nihil uirtuosum neq; perfectum sit, nisi multo labore partum,

CONFUTATIO.

Confutatio locis cōtrarijs constat, ut si quis contendat aliud quiddam honestius esse quā iustitiam, aut si quis cauilletur illam non esse decorum donum, &c.

EPILOGVS.

Hic paucis repetit potissima honestatis & utilitatis argumenta.

De commendatione regionum.

In commendatione regionum occurrunt quatuor orationis partes: Exordium, Narratio, Confutatio, Epilogus.

Loci narra-
tionis.

Antiquitas & primi inhabita
Situs & amplitudo. (tores.
Duces.
Frequentia urbium.
Fertilitas.
Tutus transitus.
Bellicositas.
Prosperitas aëris.

Paradigma in quo laudatur regio Misnia.

Quum non minimam partem pietatis sibi
p̄dicet regio, è qua g̃s natus est, humanissimi
uiri, cum quod hæc proxime accedat ad patri
am, idq̃ cum propter situm, tum propter uici
nos ac cohabitantes eiusdem regionis popu
lares. Quid obsecro honestius? quid enim ma
gis? quàm regionem suam laudare, è qua quis
non solum trahit originem, sed etiam unius
gentis coniunctissimos homines, qui, quantū
uis lata ac ampla sit regio, tamen uidentur fere
omnes esse eiūdem naturæ atq̃ indolis. Sic ex
uno Sueuo omnes reliqui Sueuiæ inhabitato
res æstimandi sunt. Ex uno Saxone omnes
reliqui Saxones. Quare in gratiam meorum
popularium & propter pietatem, quam quisq̃
sux regioni debet, constitui mecū, paucis Mis
niam regionem commendare, qua non est alia
regio neq̃ celebrior, neq̃ fertilior, si uel cele-

britatem populi, uel fertilitatem terræ spectaueritis. Dicam uero ueteri de more dilucide ac breuiter.

AB ANTIQVITATE.

Exordiar uero à loco antiquitatis, qui, ut apud Vergilium & reliquos doctos uidemus maximam partem commendationis reconciliat regionibus. Misnia itaq; antiquissima est regio, quæ statim populis frequentari cœpit, idq; propter fertilitatem, cum nulla adhuc in tota Germania regio coleretur. Hanc olim inhabitauerunt Camanni fortissimi populi, in quorum locum successerunt postea Osi, à quibus adhuc nomen retinet celebre illud oppidulum Misniæ Ositium. Tandem temporis successu uterq; ille populus, ex utris ueteribus uocabulis, Misnenses sunt dicti, à Misnia urbe celeberrima, quæ, ut est uerisimile, propter frequentissimum Canoniorum collegium, olim istius regionis metropolis fuit.

A SITV ET AMPLITVDINE.

Sita est autem hæc regio in centro Germaniæ, uel, ut ita loquar, in umbilico. Ab oriente terminatur Illingis, quorum tractû hodie Lausniciam uocant, A meridie Bohemia, ab occasu Turinga, à Septentrione Marchia.

A DVCIBVS.

Duces semper fortissimos ac bellicosissi-

mos habuit, & semper religionis atq; pacis studi-
 oſiſſimos, ſicut teſtantur ueteres hiſtoriæ.
 Vuedekinthus inter primos Germaniæ prin-
 cipes Chriſtianam fidem à Bonifacio Epiſco-
 po ſuſcepit. Regebernus Saxoniam Miſnen-
 ſi imperio ſubiecit. Thymo Comes Vuethi-
 nenſis, defuncto Marchione Miſniæ, propter
 egregia atq; bellica ſua facta, poſtquam Mar-
 chio nullos poſt ſe hæredes reliquiſſet, à Cæ-
 ſare Ottone, Miſnia donatus fuit, & ſic Miſnia
 ad noſtros principes uenit. Sub quibus Euan-
 gelium, ad longa tempora humanis traditio-
 nibus obſcuſatum, clarum ac ſyncerum pro-
 diit in lucem. Hi principes unà cum parenti-
 bus defunctis, eam habent apud Germani-
 am, laudem, quam nulla uetuſtas oblitera-
 bit, nullum incendium tollet, nulla euertet
 fortuna, deniq; quam nulla unquam clades
 extinguet.

AB VRBIVM FREQUENTIA.

Vrbes complures habet, inter quas hodie me-
 tropolis eſt Lipſia, nobiliſſima urbs, inſigni
 Academia ornata, hæc paulò inferiores ſunt:
 Miſnia, Dreſa, Oſitium, Anna montana, Bir-
 na, Hana &c.

A COPIA annonæ & fertilitate.

Annona uili ac pexiguo precio in ea para-
 tur, idq; ob frugum uiniq; copiam, ut paruodi

scrimine æstimetur gratuito, ne uel pro pecunia uiuas, propter metallorum & mineralium copiā: Vere appellatur Misnia uberrima gleba. Argenti fodinas complures habet, reliquarum fodinarum non est numerus, è quibus argentum uiuum, ferrum, orichalcum, & cætera metalla effodiuntur.

A TVTO TRANSITV.

Hæc omnium Historiographorum testimonio, semper sicarijs ac latronibus caruit: Ita quod propemodum pro miraculo habeatur si quis in latrocinium incidat.

A BELLICOSITATE.

Præter dictas uirtutes, quibus Misnia donata est, non inter minimas recensetur bellicositas, quæ ex fortibus ac magnanimis animis perficitur, ut huius gratia seruentur ea, quæ parata sunt beneficio dei. Propter bellicositatē hæc regio celebratur, terra triumphis potens, ac diues, quos si uellem ordine recensere, dies nō sufficeret.

A PROSPERITATE aëris.

Postremo quantum ad aëris prosperitatē attinet, nescio sane an ulla regio Germaniæ cū Misnia conferri possit, hic enim aër tenuis ac subtilis est, neq; permittit ullam grossitudinē. Hinc etiam fit, quod ualde raro inficiatur hæc regio peste, aut alijs noxijs morbis.

39
Paradigma in quo lauda-
tur Saxonia.

Non est dubium ornatissimi uiri, quin inde eorum ac plane absurdum uideatur uobis, quod ego homo Misnensis ad extremos fere Aquilonares recurro, illorum regionem commendaturus, qui apud superioris Germaniæ homines, tam propter mores, quam propter terræ sterilitatem pessime audiunt. Ego autem quia Saxoniae regionis statum atque felicitatem expertus sum, de qua in praesentiarum dicere institui. Igitur contra falsum illorum rumorem qui de nobili Saxonia temere, ne dicam falsissime spargitur, me ipsa ueritate opponam, ut intelligatis longe aliam esse regionem Saxoniam, quam inexpti superiores Germani fingunt, dum de suis delictis, fane Saxonicae genti contrariis, supra modum se iactitant atque gloriantur. Quæso itaque ut me de nobilissima atque antiquissima regione dicentem benignis auribus audiatis.

AB ANTIQVITATE ET
primis inhabitantibus.

Dicam uero primum de antiquitate huius regionis, quæ quia antiquissima est: Igitur multis superioris Germaniæ regionibus præponenda, quas uerisimile est è Saxonia propter antiquitatem traxisse originem: Siquidem cō

stat Saxones in uarias ac longinquas regiones
abisse, easq; primo coluisse. Cœpit autē hæc
regio frequentari à Saxonibus, sicut est testis
Saxo Grammaticus, supra mille annos ante
Christum natum. Quæ autem nunc Saxonia
dicitur, illa olim Vuandalia est dicta. Nam Sa-
xones in locum Vuandalorum successerunt,
qui ut semper fuerunt potentissimi & bellico-
sissimi populi. Ita & Saxones postea in præsen-
tem usq; diem claruerunt felicissimi.

A SITV ET AMPLITVDINE.

Sita autem est Saxonia regio septentriona-
lis ad Cymbrum Chersonesum, ab Aquilone
habens Endoram fluuium, qui limes est Da-
niæ, atq; Teutoniæ, Holsatiam, Stormariam,
Dythmarsiam ab ea parte complectens. Ab
Ortu Pomeraniam, Megapolensem regionē
& Marchiam. A meridie & occasu ducatū Lu-
neburgensem, Braunsuicēsem, Episcopatum
Magdeburgensem, Halberstattensem, Bremē-
sem, Hildeshemensē & totam Hassiam. Quæ
regiones eadem utuntur lingua Saxonica, q̃s-
dem quoq; moribus.

A DVCIBVS.

Quos autem duces habuerit Saxonia, nūc
dicendū est: Amplitudo Saxonix plures quo-
q; genuit regulos ac principes, per quos ad-
ministrata fuit. Et adhuc hodie à cōpluribus

administratur in summa concordia ac felicitate. Horum aut proaviq; olim imperium ad trecentos & quinquaginta annos, maxima cū laude tenuerunt. Nobilissimi ac strenuissimi Henrici, Illustrissimi ac fortunatissimi Ottones.

AB VRBIVM FREQVENTIA.

In Saxonia Aquilonari urbes sunt præcipuæ, Lubeca, kilium, Flensborgium. In Orientali, Vuismaria, Rostochium, Sundium, Gripesvualdium, Stetinium. In Meridionali & Occidentali, Luneburgium, Hamburgum, Tullisurgium, Monasterium &c.

A COPIA ANNONAE ET fertilitate.

Quantum ad annonam & uictum attinet, non facile credo reperiri posse in tota Germania aliam regionem beatiorem Saxonia, quæ filigine, piscibus, iuuenicis, alijsq; ad sustentationem corporis necessarijs rebus, non solum abundat, sed etiam maximam superioris Germaniæ partem istarum rerum copia nutrit.

Adeo ut nisi Saxonia sua fertilitate complures regiones sustentaret, cogerentur illæ fame perire. Genera cereuisiæ quàm optima & plurima habet, quæ propter suauitatem ac lenitatem miram, sæpe ipsi uino præferuntur. In aliquibus partibus etiam aurum & argentum effoditur: Item alia metalla &c.

48
A TVTO TRANSITV.

Transitum satis tutum habet, idq; propter concordiam principum & ciuitatum, qui uno ore omnes in prædones animaduertunt. Et q̃a propter mutuas cōfœderationes, cuius principi ac ciuitati liberum est quò uelit quærere, & insectari latrones : Ideo raro ibi audiuntur latrocinia.

A BELLICOSITATE.

Bellica uirtute semper claruit hæc regio. Ita ut nunquam aut raro in otio uixerit. Et ne hodie quidem uiuat: Saltem quia finitimi principes offenduntur amplitudine, & concordia Saxonix, quam perturbare moliuntur, ut ipsi suos satis angustos ducatus reddant ampliores. Verum nullus principum adhuc quicquã laude dignum effecit, sed prostrati ac uicti semper magna cum ignominia abierunt ad sua. Extant uero innumeræ uictoriæ Saxonix regionis, quæ cū passim apud Historiographos reperiuntur, eas hic transeo.

A PROSPERITATE AERIS.

Aëris temperies lenis est in hac regione : Nisi quod Aquilone flante immutetur, & sub inde grossior fiat: Nec tamen sine magna commoditate hæc contingit immutatio. Tūc enim mundatur aer, & efficitur salubrior.

EPILOGVS.

Hæc & multa alia habet Saxonia regio præ
cæteris terris, quæ sparsim huius descriptores
& fideliter & perspicue tractarunt.

De commendatione urbium.

Ad commendationē urbium, quatuor ora-
tionis partes requiruntur: Exordium, Narra-
tio, Confutatio, quæ raro occurrit, & Epilo-
gus.

Locī narratio-
nis, quibus cō-
mēdantur ur-
bes,

ab

Antiquitate, prima ori-
gine & situ.

Fundatore.

Religionis studio.

Ducibus.

Republica.

Senatu.

Frequentia populi.

Bellicositate.

Studio pacis.

Ciuium urbanitate.

Domorū magnificētia.

Variarum rerū copia.

Prosperitate aëris.

Amcenitate.

Paradigma in quo laudatur Lubeca.

Non dubium est humanissimi uiri, ac com-
mitones studiosissimi, quin merito in iustam

reprehensionem incidam, qui puer adhuc & infans in bonis literis audeo in publicum pro
 dire, tantisq; de rebus dicere, quas nec ætas ne
 q; ingenium meum satis percipit, ut interim
 taceam balbutientem linguam, uocem tremu-
 lam, aliaq; uitia, quibus etiam extreme sum p-
 ditus. Consolatur tamen me primum, qd nō
 meo instinctu ad declamandum huc concess-
 rim, sed præceptorum iussu, adeoq; frequenti
 instigatione, cui si non obtemperassem, credi-
 dissem me piaculum cōmittere, quod autem
 ut euitarem quoquo modo passus sum talem
 prouinciam mihi imponi. Deinde sat scio, me
 facile omni reprehensione cariturum, si uobis
 auditoribus meum consilium exposuero, qd
 & qua de re sim dicturus, item quid me impu-
 lerit, ut hoc præcipue tempore, de ijs rebus di-
 cere instituerim, de quibus me dicturum au-
 dietis. Decreui uero mecum uobis commen-
 dare florentissimam urbem Lubecam, quam
 uideo hodie ab innumeris hostib⁹ peti, in hoc
 ut tandem prorsus euertatur, & pereat: Qui
 hostes si non essent, nulla restaret mihi occa-
 sio collaudandi tantam urbē, quæ aliàs satis se
 sua integritate et māsuetudine omnibus terris
 cōmendarer. Poscente aut sic statu nostrorum
 temporum, encomia sten huius urbis præbe-
 re me uolui. Dicam uero dilucide, simplici ac
 uera narratione contentus.

Ordo orationis.

Cæterum quando Lubeca apud oēs historiographos, qui de maritimis his regionibus & ciuitatibus scripserunt, duplici nomine celebratur, non quod duo nomina habuerit, sed propter translationem, quod post ueterē Lubecam noua esse cœperit. Ideo constitui prius breuiter de ueteri Lubeca agere, ut mihi ad nouam describendam felicius sit ingressus.

AB ANTIQVITATE SEV prima origine,

Quantum igitur ad prima exordia ueteris Lubecæ attinet, certum est eam tunc temporis cœpisse, quum Vuandali seu Schlaui, potētissimi ac latissimi per totum terrarum orbem populi hanc regionis partē tenerent, quam hodie maritimā seu Balthicā Saxoniam uocamus.

A SITV.

Sita uero fuit uetus Lubeca ad locum illum qui adhuc hodie Schvuartavu, Germanico uocabulo uocatur, cuius loci uestigia, ideo deus in præsens tempus reseruari uoluit, ut cerneretur potentia eius, qua ex paruis oppidis, pro diuina sua uoluntate, potest magnificas & præclaras urbes facere, ut inde discamus paruas ciuitates non nostris uiribus, sed diuino præsidio excrescere.

A FVNDATORE.

Quis autem ueteris Lnbecæ fundator fuerit, propter negligentiam Historiographorū incertum est, & grauiterrant, qui Gotschal cum eius fundatorem faciunt, quum Lubecā ante illum fuisse, certo constet, uel ex antecessoribus Gotschalci, cuius etiam auus Mistiuuus nomine, ueteri Lubecæ præfuisse legatur: Hoc tamen non negamus sub Gotschalco famosissimo & fortissimo Vuandalo, primū ueterem Lubecam clare innotuisse, & ante eū per exiguam illius memoriam extitisse. Prouincia uero istius tractus, in quo sita fuit uetus Lubeca, tum Vuagria appellabatur: Et est hodie illa pars Holsatiæ, quæ ad mare Balthicum finitur.

A DVCIBVS.

De dominis ac principibus, qui ueteri Lubecæ ante tempora Gotschalci præfuerūt: Itē de illorum rebus gestis, parum habent annales, quales aut fuerint, & quos se gesserint, tū domi, tum militiæ, ex posteritate stematis, sicut in progressu audietis, satis clare apparebit. Mistiuuus auus Gotschalci, propter egregia sua facta hoc nomen apud Vuandalos adeptus fuit, quod eum fortissimum gygantē appellarint. Hic filium reliquit nomine Vdonē, & terra, & mari felicissimum triumphatorem. Huius filius Gotschalcus fuit, homo pius ac

Christianus, quo regnante Lubeca uetus primum inclaruit. Hic Vuandalos qui à catholica fide descuerant, ad Ecclesiam reduxit. Cœnobîa in usum iuuentutis instituta, tum prorsus collapsa restituit. Et amplificandæ religionis studio, ipse sæpe iustas conciones ad populum fecit. Hunc sequutus est Crito ab occisorib⁹ Gotschalci in principem electus, hic quāquā acerimus Christianorum persecutor extitisse legatur: Ideo tamen mihi laudandus uenit, quia summo iure, ac æquitate in administratiōe sui ducatus, usus est: Item qui prima nouæ Lubecæ fundamenta inter lacū Vuakenisse, & Trauenam fluuium iecit. Defuncto iam Critone principatus ad relictum Gotschalci stemma rediit. Henricus enim reuersus è Dania, Vuagriam administrandam suscepit, princeps ad stuporem usq; iustus, & ad bella & ad triumphos natus. Lubecam à Rugianis obsessam liberauit Canutum Schlesuici ducem insigni uictoria uicit. Post hūc Svūteplochus filius dux Vuagriæ factus est. Hic exercitū in kissenos duxit, arcem Vuerlę obsedit. Postea extinctis liberis Henrici principatus ad Canutum rediit, qui ut historiæ habent, uirtute & morum integritate clauit, propter quæ dona, à Lothario imperatore in Obotritorum regem creatus fuit. Hic Præbislaium & Niclotū à Gotschalco originem trahentes prælio uicit, & ambos capti-

d

uos in Schlesvicum abduxit. Mortuo Canuto præfuit Lubecæ ueteri Præbislauus, quo imperante, quidam, cui nomen erat Raze, de stirpe Critonis, classem nauium ingentem Lubecam duxit, ac nouam arcem à Præbislao cōditam, cum adiacentibus præsidij munimentisq; demolitus est, Lubeca urbe prorsus euerfa, cuius tandem depopulatio Vuandalorum dominis in Vuagria finem dedit.

EPILOGVS.

Hæc de ueteri Lubeca, primis eius exordijs, situ, fundatoribus & dominis, quæ omnia certissima sunt, & ab historiographis fide dignis conscripta. Quæ autem ad reliquas circumstantias pertinent, quibus solent commendari urbes, incuriositate antecessorum perierunt. Nec si restarent de his certa quædam, uacaret ea per dignitate explicare, quum nouæ Lubecæ uirtutes, tantæ & tam magnæ sint, ut nisi uelim illas quasi in transcurso obiter percurrere, cogor hic ueteris Lubecæ finem facere.

De noua Lubeca.

A FVNDATORE.

Desolata itaq; ueteri Lubeca, sub Præbislao ultimo Vuandalorū in Vuagria regēte, Adolphus Holsatiæ, Stormariæ & Schauenburgij Comes, cui diuinitus nouæ Lubecæ fundatio

49

reſeruata erat, miſſis legatis, in Hollandiam
Vueſtphaliam, Traiectenſem terram & Flan-
driam, proclamauit per ſuos, ut qui agris indi-
gerent ad Vuagriam uenirent. Venerūt itaq;
multi, in quos diſtribuit Adolphus deſolatos
agros. Holſati, qui tum fortiffimus & bellico-
ſiffimus populus erat, pro ſua parte, cāpeſtria
Trauenæ, & locum in quo nūc ſtat Lubeca no-
ua, obtinuerunt.

A PRIMA ORIGINE ET SITV.

Anno milieſimo centeſimo quadrageſimo
quarto, noua Lubeca, nondum poſt deuasta-
tionem ſub Præbiſlao factā, reparata, inter Tra-
uenam & Vuakeniſſiam transfertur, antiquum
ſuum nomen obtinens. Quæ uero hic quidam
nugantur de Vuādalico uocabulo Bucu & de
tuguriolo piſcatorio Luba appellato, unde di-
ctam uolunt Lubecam, pro ueris fabulas ad-
ducunt, quum ante Adolphum Lubecæ appel-
latio fuerit in ueteri loco.

Ordo cōmendationis nouæ Lubecæ.

Et quia in Adolphi mentionem incidi, bre-
uibus exponam caſus Lubecæ, qui ſub hoc Co-
mite contigerunt. Deinde reliquos dominos
ac principes Lubecanæ urbis, uſq; ad Carolū
quartum, tantum propter fluctuantem Lube-

d 2

fo

cæ fortunam, obiter commemoraturus. Vi-
deo enim me non posse alia ratione ad iustam
commédationem Lubecæ peruenire, nisi hoc
obseruato ordine.

A DVCIBVS NOVAE
Lubecæ.

Adolphus itaq; semper studiosus pacis fuit,
& ualde affabilis suis uicinis principibus.
Quare etiam aliquandiu in summa tranquillitate
præfuit Lubecæ, tandē ut facilis est omnium
rerum uicissitudo, Niclotus Obotritorum
princeps factus est illi inimicus, quo tempore
Niclotus conuocato nauali exercitu, per Tra-
uenam ascendit, & ciues propter nundinas se-
curos ad trecenos usq; occidit, cohortibus in-
terim equitum incendijs cuncta deuastātibus
Et fuit hæc prima clades, quam immerito qui-
dem, tantum propter principis errorem, no-
ua Lubeca est perpeffa: Verū hui⁹ cladis ideo
hic cōmemorare uolui, ut ubi posthac ad res
feliciter à Lubeca gestas peruenero, intelliga-
tis Lubecam nulli neq; regi, neq; principi un-
quam occasionem belli præbuisse. Sub hæc tē-
pora Henricus cognomēto Leo, mortui Hēri-
ci Bauariæ & Saxonix ducis filius, patri defun-
cto successit. Hic quia uidebat Lubecam Ve-
teri Saxonix emporio obesse, prohibuit suis
ciuib⁹, ne mercatum abirent Lubecam, id qd

91

maxima damna Lubecæ aduexit, quibus etiā
accessit totius ciuitatis deploranda conflagra-
tio, qua facta, ne tamen noua urbs prorsus in-
teriret, pro alio loco in quo possent reedifica-
re emporium, ciues igni misere perdit, ad du-
cem Saxonie profecti, abierunt. Dux uero il-
lorum precibus motus, ad locum Vuakenisse
noua mœnia molitur, & crescentem urbē suo
de nomine Leontiam uocat, sed quoniam de-
us priorem locum elegerat, & quia è mari erat
difficilis Leontiam accessus, unanimi consen-
su redierunt ciues ad conflagratam Lubecam
Comes uero Adolphus pertimescens Henri-
ci indignationem, permisit illi Lubecā restau-
randam. Porro Henricus Saxo omnis pruden-
tiæ & sapientiæ specimen, nouellam urbē, an-
tequam mœnijs & uallibus muniret, legibus,
uinculis ciuitatum decorauit, & multis immu-
nitatibus ac priuilegijs, quibus in hunc usq; di-
em utitur Lubeca, ornauit. Libertatem nego-
ciandi in Dania, quam adhuc hodie cruentis
bellis & multo sanguine defendit Lubeca, at-
q; insignibus triumphis sæpissime tutata est et
antea, unā cum reliquis priuilegijs à Vualde-
maro Danorum rege impetrauit. Hic Niclotū
Obotritorum principem, dolo uolentē cir-
cumuenire Lubecam, suis copijs occidit. Item
filios Nicloti insigni uictoria uicit. Sedem Epi-
scopalem ex Aldenburgo Lubecam transtu-

fit. Postea fortuna sic currente, quia Henricus propria persona Italicæ expeditioni interesse recusabat, Cæsar Fridericus eius nominis primus in eum commotus fuit, & paulo post è Bauaria expulit, qua euiçta, in Saxoniam se cõtulit, ut pulsum ex Bauaria etiã è Saxonia extruderet: Tandẽ & Lubecam peruenit, quam aliquandiu, magna ui obsessam ex responso Hērici, qui tum profugus erat, quicq; consulebat legatis Lubecensibus ad eum missis, cedẽ dum esse tempori & necessitati, in suam potestatem anno millesimo, centesimo octuagesimo secundo, armis aliàs inexpugnabilem ex deditioe accepit. Post discessum suum Adolphum comitem à Dasse Lubecæ præfectum relinquẽs. Interea temporis Henricus dux recepit se cum uxore & liberis suis in Angliam, è qua breui reuersus, Bardouicum expugnauit, & Lubecam recuperauit. Defuncto uero Henrico, Lubeca ad Adolphum comitem à Schavuēburg rediit, qui post paucos postea dies à Vualdemaro Slesvicensi duce, fratre regis Daniae fugatus fuit ad paternam suã ditionẽ. Hic Vualdemarus Lubecam obsidere cœpit, quẽ urbs carens defensore, post multas consultationes intromittere cogitur, & per illum se regi Daniae Canuto offerre, quia uidebant Lubecenses se nullo modo posse carere Dania: Præterea se non posse alia ratione redimere ciues,

qui tum in Scania piscantes, abducti erant captiui. Canutus itaq; cum pompa, Lubecam anno millesimo ducentesimo uenit, & ab omnibus dominus ciuitatis salutatur, accepta in suam potestatem arce, ad ostium Trauenæ sita, Anno autem sequenti nouo rursus igni cōflagrata urbs perijt, quam tamen breui, ut quisq; potuit, in culmina erexere, ea sub spe, quod crederent se facile posse illata damna resarcire, modo rex seruaret promissa, suisq; staret immunitatib⁹. Et resarcissent omnia, nisi fraudulentus regis animus, studuisset potius opprimere urbem, & suis spoliare priuilegijs, & promouere. Quare misere onerata Lubeca, tandem propter maxima grauamina & non sine singulari fato, misit legatos suos ad Imperatorem Fredericum eius nominis secūdum apud quem fideliter suas oppressiones cōquesta fuit, orans ut urbem suscipere dignaretur, quæ aliquādo sub imperio militasset, & quæ propter denegata ab eius antecessoribus præsidia, coacta fuisset in summa necessitate ab imperio desciscere. Motus igitur Imperator tantis precibus, præcepit uicinis Lubecæ principibus, ut iuuarent Lubecenses, donec urbs eriperetur è faucibus Danorum, id quod anno millesimo ducentesimo & uigesimo sexto contigit, quum Vualdemarus rex Daniæ, cum infinitis suis copijs, in die diuæ Magdalenæ, horribili

prælio succumberet. Ab hoc tempore usq; in præsentem diem Lubeca sub sacratissimo Romanorum imperio, in summa constantia & fidelitate permansit. Creuit uero mirum in modum Lubeca post reditū ad imperium, in maxima pace, quam tū habebat, sub quatuor Daniæ regibus, se inuicem sequētibus. Hisce quoq; diebus, magnificæ illæ domus Lubecæ constructæ fuerūt, quæ nō belli, sed pacis sunt ædificia, quorum magnificentia cum ad Carolum eius nominis quartum, unā cum reliquis felicitatibus urbis pertingeret, magno desiderio efflagitauit Lubecam inuisere. Anno itaq; millesimo trecentesimo septuagesimo quarto, incredibili omnium gaudio, urbē est ingressus, antiquis priuilegijs adhuc plura alia adiungēs. Hæc sunt quæ uolui de primis exordijs, dominis & fortunis nouæ Lubecæ dicere, ut colluctantem ab initio Lubecæ statum uobis proponerem, quò cognosceretis quod hæc urbs diu perijisset, nisi deus mirabili fato eam reseruasset, aliàs non in sciis, quàm decuisset me ordo alius, & limatior & breuior, quem tamen nūc sequar, ut ab omni parte satisfaciā oībus.

A RELIGIONIS STVDIO.

Quantū igitur ad religionē attinet, ex ueterū annalibus cōstat, Lubecam semper fuisse maxime deditam religioni, id quod etiam adhuc

es

hodie satis testantur antiqua illa templa, innum-
meris propemodum Beneficijs (ut uocant) &
illis quidem opimis, ornata. Præterea studiū
illud transferendæ sedis ex Aldenburgo: Et in-
stitutio Teutonici ordinis, Christianismi pro-
pagandi gratia à Lubecensibus erecta: Neq;
aliter docet nostro hoc seculo, feruor ille ma-
ximus in suscipiendo Euangelio, ad multa tē-
pora abscondito, quod ut reciperet, non est ue-
rita Lubeca, etiam satanæ & toti Papisticæ ty-
rannidi se opponere.

A R E P V B L I C A.

Propter quæ religionis studia, deus etiā il-
lam Rempublicam dedit Lubecæ, qualem ne-
q; Aristoteles, neq; Plato, neq; ipse Socrates
unq̃ feliciorē descripsere, in dictis ac factis cō-
stantē, uirtuosam, felicē & uere beatā, quæ nō
uno bonorum genere, sed tam corporis, quā
animi dotibus ornata est.

A S E N A T V.

In qua Republica imperant prudentissimi
Senatores, quos teste Aenea Syluio, ueteri ac
nouo de more Cōsules appellant, olim nume-
ro duodecim, hodie uiginti quatuor, quorum
perpetua est potestas, quiq; in equestri dignita-
te sunt constituti, certis diebus Romanorum
consuetudine induti toga, in signum pacis per

d s

publicas plateas incedentes. Hi propter singularem suam prudentiam ac sapientiam: Itē propter iustissima Municipalia iura, à multis et regionibus & urbibus, in dubijs causis consuluntur, quas secundum suas leges dijudicāt & cōponunt, compositas uero ad regiones & urbes pro iudiciali autoritate remittūt ratas. Popularibus nulla de regimine urbis consulendi facultas est.

A FREQUENTIA POPVLI.

Vrbs uero populosa est, ita quod multi mirerentur, quod tanta urbis capacitas, quanquam satis ampla, tantam hominum multitudinem, retinere queat, quæ inde facillime æstimari potest, postquam ē publicis Rationarijs, octodecim milia ciuium, exceptis non ciuibus, mulieribus, ancillis, liberis ac famulis colliguntur. Neq; hoc mirum est, cum non solum ædes in culmina erectæ, plenæ ac refertæ sint habitatoribus, sed infinita etiam cellaria, ita ut ne angulus quidam existat, qui non ab incolis frequentetur.

A DOMORVM MAGNIFICENTIA.

Et quum magnificentia domorum non nihil laudis urbibus conciliet, Lubeca non nisi lapideis & tabulatis ædibus est extructa, quorum fastigia in auras usq; supereminet, turriculatim proëminēt, eo ordine & æquali stru-

Etura, ut simul omnes uno eodemq; tempore unanimiq; consensu ædificantium eductæ domus uideantur: Quæ æqualitate omnia genera ædificiorum superioris Germaniæ uincūt. Pulchritudine uero & magnificētia totius Saxoniz domos.

A VIRTUTE BELLICA seu bellicositate.

Porro quid iuuat, præcipue his turbulentis temporibus, florētem Rempubicam habere, prudentem senatum, urbem populo florentē, & magnificas domos: nisi & talis sit urbs Lubeca, quæ uirtute bellica queat tantas & tā magnas res, contra hostium iniurias defendere? Quātum igitur ad res bellicas attinet, mœnijs, uallibus, & aggeribus satis munita est. Turres habet non quidem altas, sed in usum belli magna cum commoditate, fossis inclusas, quas hodie neglecto turris uocabulo, propugnacula uocant. Bombardis supra omnem modum dedita est, miro artificio in interitum hostium paratis, quas quoq; pro summa facilitate norunt tractare ciues, rei bellicæ, potissimum nauali, peritissimi. Et ne quis propter amorē hæc me fingere dicat, non grauabor hic insigniter res à Lubeca gestas, obiter cōmemorare. Exordiar uero à rebus gestis, quas Lubeca post Fridericum secundum gessit, sub quo ad impe

rium rediit, usq; ad præsentia tempora. Primā itaq; uictoriam, & omnium quidem maximā, statim post reditum ad imperium habuit Lubeca, cōtra potentissimum Danorum regem Vualdemarū, à quo propter intollerabilia onera desciuerat, qui cum exercitum in Holsatiā duxisset, ea spe, ut rursus tandem urbe potiretur, insigni clade, in Miricianis campis, in diuæ Magdalenæ festo, cæsus fuit, in cuius uictoriæ perpetuam memoriam adhuc singulis annis, stipendiariæ eleemosynæ à Senatu pauperibus largiuntur. Quam uictoriam paucos post dies alia est secuta, contra Adolphum Holsatiæ comitem, qui pro suis præsidijs aduersus Vualdemarum Lubecensibus collatis, recompensationem cuperet, & illam non pro uoluntate sua, sed pro æquitate uellent p̄soluere Lubecenses, res ad arma rediit, quibus nauali bello & Adolphum & Vualdemarum regem, cū quo socia arma iunxerat comes, insigni uictoria fugarūt. Quæ infortunia Vualdemari post obitum eius uolēs uindicare Ericius filius, mercatores Lubecenses in Schania piscantes, capti uos detinuit, ad quos liberandos uenerunt Lubecenses, magnā stipati nauium classe, & kep-penhagij appellant ad littus, arcem oppugnāt tandem deiectam complanāt terra, & sic onustas spolijs naues, suis liberatis, in Trauemundum reduciunt. Quibus uictorijs animosior fa-

cta Lubeca, coacto numeroſo equitum & pe-
 ditum populo, Holfatiam petijt, & Ioannem
 comitē miſere turbauit, uindicās caſum Chri-
 ſtophori regis Daniæ, quē paulò ante ab Hol-
 ſatis tulerat, ſeruans fœdus cum rege initum.
 Eadem quoq; animi fortitudine, tū triumphauit,
 quando Schoniam ad ſedecim annos, unā
 cum redditibus amiſſam, recepit. Et quia plu-
 res ſunt uictoriæ de Holfatis & Megapolen-
 ſibus habitæ, quàm ut poſſint hic pro dignita-
 te recenſeri, igitur illas omittam. Neq; ſi cen-
 tum mihi eſſent linguæ, oraꝗ totidem, ut ille
 ait, ſufficerem tamē glorioſiſſimas illas uicto-
 rias commemorare, quas plures obtinuit Lu-
 beca contra aſtutiſſimum & potentiſſimū Io-
 hannem Daniæ regem, eiꝯq; filium Chriſti-
 ernum, aduerſus quem non ſolum triumphauit,
 ſed eum prorſus etiā è regno fugauit. Hiſ
 uictorijs adde & illas, quas ſumma cum laude,
 ab Hollandis reportauit, quos ſemel trecentis
 cum nauibus Dantiſcum proſectos, octode-
 cim tantū ſtipata, fortiter ſuperauit: Præterea
 & uictoras, quas Lubeca cum Vuandalicis ci-
 uitatibus communes habet, hic tranſeo breui-
 tatis gratia. Nā & hæ plures ſunt, quàm ut pa-
 tiatur anguſtum tempus meæ declamatiōi cō-
 ceſſum, illas cōmemorare. De fortuna ac belli
 ea uirtute contra Suecos quoq; nihil dico.

A PACIS STUDIO.

Et ne uidear solum in bellicis exemplis occupatus esse, animaduertite porro, quæ pacis gratia ad euitandum bellum fecerit Lubeca, quod nunquam sine insigni aliqua occasione mouit. Quoties itaq; cognouit Lubeca, idquæ ueteri de more, aliquem è uicinioribus principibus aliquo modo offensum, siue nunc id merito, siue immerito fieret, nō dubitauit sæpe magna pecuniæ copia, illos sibi reconciliare, & suo de iure cedere. Tempore Iohannis regis Daniæ, tantum propter seruandam pacem magno sumptu fouebat Reymundum Cardinalem, cum tamen iustissimas causas belli haberet contra regē. Item quàm studiosa pacis semper fuerit Lubeca, etiā inde colligi potest, quæ cum intelligeret inter regem Poloniæ, & Magistrum ordinis, horrētia bella futura, in Prusiam suos Cōsules misit, atq; per illos pene inextinguibilem tragædiam composuit. Neque aliud testantur compositiones pacis, inter urbes maritimas sæpe magno labore factæ, ut interim raceam summum illud studiū Lubecæ, quo maxime laborauit pro erigenda Teutonica illa communione, quam Hansam uocant, certissimum pacis signum exhibente, quo hac confœderatione terrentur principes à bello, & discerent seruare pacem.

AB VRBANITATE CIVIVM.

Idem etiam docet urbanitas ciuium, & compositi ciuium mores, quàm longe post se relinquat Lubeca, omnes reliquas Saxonix urbes, humanitate & hospitalitate illas uincens.

A VARIETATE MERCIVM.

De uarietate mercium, quæ Lubecæ in frequenti & celebri conuentu mercatorum distrahuntur, referrem quædam, nisi & hæ quotidie satis ob oculos uersarentur.

A PROSPERITATE AERIS

& amœnitate.

Prosperitate aëris non solum fruimur indies in magna corporum sanitate, nos qui hic degimus Lubecæ, sed uicinis etiam urbibus impartimur, ut qui uelint ex propinquis oppidis propter morbos ex fetore aut grossitudine aëris contractos, refocillare uires, Lubecam ueniāt Quæ uillis, prædijs, hortis, alijsq; amœnitatibus, non solum floret, sed etiam ad decorum usque ornata est,

EPILOGVS.

Verum ne pluribus ambagibus uos sustentem. Agite igitur ornatissimi uiri, adulescentes ac iuuenes studiosissimi, hanc urbem florentissimam, mecum apprehendite, laudate & commendate, qua non est urbs alia dignior laude, si uel ad prima Lubecæ exordia, uel ad Principes, quibus olim paruerit, uel ad ipsius præcla-

62
rissimas res gestas oculos moueritis.

Paradigma in quo laudatur Lipsia
Ositiæ urbs.

Vere dixit ille, doctissimi uiri, ac bonorum studiorum felicissimi tyrones, quemq; potissimum ea tractare, erga quæ laborat affectibus & eò diligēti⁹ ac studiosius, quo maiores sunt illi affectus, quibus ducitur aliquis ad tractandum aliquid. Sic & ego cum in maxima argumentorum sylua uersarer, nec pro tēporis ratione satis scirem, quod nam præ alijs exciperem, in quo explicādo, & uobis doctissimis auditoribus, & mihi ipsi satisfacerem. Tādem post lōgam consultationē, amore patriæ meæ uictus sum, & elegi commédationem Lipsiæ urbis, quam ideo libentius commēdo, relictis alijs argumentis, quod scio uos omnes singulari amore erga patriam meam flagrare, & nō immerito quidem, quum hæc sola sit omnium studiosorum commune asylum, quod non solum uagabundos excipit hospitio, sed alit fouetq; pro dignitate. Præterea & in hac re mihi satisfacio, qui sumpsi materiā uiribus & naturæ meæ aptam, ut ab omni parte instructus essem, quo ubi deficeret ars, tamen adforet natura, quæ mea uice, aliquo modo potissimo uestro iudicio responderet. Quæso itaq; ut tacitis & benignis auribus me dicentem audiatis.

Et eo attentius, quo certius scitis Lipsiam longe celebriorem esse urbē, quā ut queat auersas mentes & ingratas ferre.

A SITV ET AMPLITVDINE.

Cæterum ut omnia ordine explicem, adeo-
q; iuxta Rhetorum præcepta. Primū situs Lip-
siæ urbis nobis attingendus est. Lōge enim
errant, qui Lipsiam Misniæ urbem faciūt, quā
do Misnia proprie illa regio dicatur, quā olim
inhabitarunt Camanni. Ea uero pars, quæ ab
Ositio urbe Vuisenfelsiū usq; uergit, in qua Li-
psia sita est, Ositia uocatur, testante adhuc Ger-
manica appellatione, Ostlandt ab Osis popu-
lis sic appellata: Quanquam hodie Misnia, &
Ositia regiones confundantur, idq; propter
unum principem, cuius imperio ambæ subia-
cent: Tamen probe à se inuicem discernendæ
sunt, ut recte intelligi possit, aliquando fuisse
duplicem regionem, quam hodie unam, pro-
pter uicinitatem reputamus. De amplitudine
hic nihil dici potest. Est enim Lipsia non ad-
modū ampla, sed talis, quæ sua angustia, quas-
uis amplissimas Germaniæ urbes exuperat.

A DVCIBVS.

Duces quibus paret patria mea, ne hoc qui-
dem incertum est. Verum quantæ uirtutis, &
cuius stēmatibus illi sint, quibusq; uis proauisq;
floruerint semper celeberrimi & strenuissimi,

hoc in loco dicendum uenit. Traxerunt enim originem Lipsiæ principes ex nobili Saxonũ stemmate, quo nõ est aliud neq; antiquius neq; famosius in orbe, si uel internas animi uirtutes, uel res egregie gestas externe inspicere uolueritis.

A REPUBLICA.

Et quando res parux concordia crescunt, magnæ autem discordia dilabuntur. Videtis quo breui in tempore, tantum propter mirandam concordiam, res Lipsiæ processerint. Cõcordia enim seruatur Respublica, & promouetur à die in diẽ ad maiora. Nescio an queat etiã hisce præcipue temporibus, in tota Germania reperiri Respublica, quæ ita aliena est à ciuilibus discordijs, ut est Lipsia patria mea dulcissima. Aristoteles beatam prædicat Rempubicam, quæ uiuit secundum uirtutem. Plato beatiorẽ & rectius institutam Rempubicã commendat, in qua omnia sunt communia, atq; in qua ualet dictum illud: Quod tuum est, meum est, & quod meum, est tuum. Socrates beatissimam Rempubicam illã celebrat, in qua uxores & liberi habentur communes. At omnium felicissima & beatissima est Respublica patriæ meæ, quæ non solum secundum uirtutẽ uiuit, sed etiam quæ pacis & publicæ honestatis gratia, communitatem bonorum, uxorũ & liberorum reprobat.

67
A SENATV.

Huic beatissimæ Reipublicæ, ex diuino beneficio etiam prudentissimi & sapientissimi Senatores contigerunt, è quorum autoritate & iudicio, totum Misnensium Duringorum, & inferioris Saxonix ius pendet, quod in dubijs causas ad prædictas regiones mittunt. Et sicut aquilæ uolando altissimas cæli partes occupant, sic Senatus Lipsensis citra omnem controuersiam prudentiæ & sapientiæ magnitudine, ad sydera usq; euehitur. Qui non ex opificum indocta turba, sed ex doctissimis uiris collectus est.

A FREQVENTIA POPVLI.

Et quando frequentia populi etiam non nihil laudis urbibus conciliat: Vix credo reperiri posse in tota Germania, urbem, quæ ita non admodum ampla, adeo frequentes ac plures homines continet. E quorum numero sunt, bonarum artium studiosi, qui cateruatim quotidie ad stuporem usq; incedunt multi, Apollinem sequentes, non pauciores, quàm olim cõsueuerit ille deus, suo numeroso comitatu, relicta Lycia, Delum maternam reinuisere, Cretensibus, Driopibusq; pictisq; Agathyrsis, stipat.

Hic sibi pulchram Ioue nata sedem

Pallas elegit, teneramq; uirgo

Imbuit summi patris erudita

Dote iuuentam.

40

Mercatorū copia facile Corinthum Achaë
nobilissimam metropolim uincit. De mulieri-
bus, & illis quidem pulcherrimis ac pudicissi-
mis nihil dicam. Quæ enim & quales illæ sint,
colligitur satis ex elegantissimis puellis, qua-
rum pulchritudinem & elegantiam nemo po-
test pro dignitate adsequi oratione.

*Educat pulchras Venus hic puellas,
In Iouis summi thalamos ituras,
Poma quæ solæ teneant Atlantis
Aurea digne.*

A DOMORVM MAGNIFICENTIA,

Domorum uero magnificentia superat oēs
Germaniæ ciuitates. Boioarij ualde glorian-
tur de Monaco Bauariæ urbe, quam pulchri-
tudine & domorum magnificentia supra oēs
Europæ urbes extollunt. At si æqualitatē stru-
cturarum & ordinem domorum spectare ue-
lis, non solum Lipsia uincit Monacum, sed et
iam lōge post se relinquit, potissimum in hoc,
quòd Lipsia tota, communiter magnificis ædi-
bus ornata est. Monacum uero in quibusdam
etiam locis, tantū lutosi tugurioli cōstet. Do-
mus in uniuersum lapideæ sunt, intus tabula-
tæ, foris miro artificio & maiestate depictæ.

A BELLICOSITATE.

Quantum ad res bellicas attinet. Primum
mœnijs, uallibus, propugnaculis, bombardis

alijsq; rebus ad bellum necessarijs, facile uincit multas Germaniæ urbes, uerum cum parū proſit habere inſtrumēta bellica, niſi & adſint qui pro experientia ea tractare norunt. Habet itaq; Lipſia ciues rei bellicæ peritiſſimos, quorum ſi uellem enumerare uictorias, non ſufficeret mihi dies. Quare ſatius eſſe duco, omnino de illis tacere, quàm aliquid frigide de eis recensere.

A STUDIO PACIS.

Verum cum is demum fortis dicatur, qui animum ſuum pro temporis ratione, & flectere & incitare poteſt. Sic Lipſia tales etiam ciues habet, qui malunt pacem ſæpe magna pecunia redimere, q̃ ſe temere in belli picula precipitare. Ante omnia igitur hoc mihi reſeruatū uolo, quod Lipſia nulli bello atq; expeditioni bellicæ, unquam, quantum mihi licuit hiſtorias perlegere, occaſionem præbuerit, ſed ſemper propter maximas cauſas coacta, mouerit bella.

AB VRBANITATE CIVIVM.

Plato illam urbem uere beatam prædicat, quæ ciues bonis moribus ornatos quàmpluriſmos habet. Et quum hoc uerum ſit, ſane beatiffima erit Lipſia, quæ & urbaniffimos & hoſpitaliffimos ciues fouet. Neq; hoc mirū eſt. Ibi enim non poſſunt eſſe degeneres aut ignobi-

les animi, ubi Pallas Academiā nutrit, in qua
docentur artes, quæ faciunt homines māsue-
tos & molles, iuxta illud:

*Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec finit esse feros.*

A VARIETATE MERCIVM.

Merces Lipsia copiosissimas ac uarias ha-
bet, nec ita magno precio uenales. Quare etiā
ex publico ac certo rumore, malunt mercato-
res Lipsiam uenire mercatum, quā uel Ve-
netias aut Francofordiam.

EPILOGVS.

His & pluribus alijs rebus donata est Lipsia
multarum regionum percelebris metropolis,
uidelicet aëre prospero, uicinis urbibus, uillis
& prædijs, quæ oīa breuitatis gratia hic trāseo.

De commendatione fluuiorum.

Partes orationis, quæ necessario ad com-
mendationem fluuiorum pertinent, sunt qua-
tuor: Exordium, Narratio, Confutatio, quæ
raro incidit, & Epilogus.

Loci narrationis
quibus commen-
dantur fluuij.

ab }
 } Ortus.
 } Amplitudine.
 } Cursu.
 } Colore.
 } Locis quæ præterfluit.
 } Fluuijs, quibus augeat.
 } Piscium generibus.

Paradigma in quo laudatur Danubius.

EXORDIUM.

Proxime commendavi vobis, sicut audistis humanissimi viri, ac iuvenes studiosi, nobilissimam Austriae inferioris urbem Viennam, in qua nunc vivimus nos liberalium artium ex diuersis atq; lōge ab hinc sitis regionibus, collecti cultores. Et quia expertus sum miram uestram attentionem ac sedulitatem proxime. Ideo etiam non dubitavi, denuo in publicum prodire & alio argumento, eandem uestram operam experturus, nec diffido quin patientibus auribus me audietis, qui nihil remoti dicā neq; de rebus incognitis, sed de celeberrimo illo fluuiο, quem quotidie uidemus hic nostrā urbem prāterfluere. Et prācipue eam ob causam, quod hic fluuius Danubius, aliās Ister appellatus à Geographis, nos magna ex parte aliat, tueaturq; ne propter sterilitatem uicinarū regionum, fame pereamus. Siquidem scitis nisi Danubius subministraret nobis pisces, nescirem an quisquam possit aliās in magnificentissima hac urbe in ediam fugare. Dicam uero consueto more, ut uos in sedulitatis officio retineam, quo eo alacriores posthac sitis semper ubi fortassis & postea dabitur declamandi ex exercitio uestra studia exuscitare,

70
AB ORTV.

Primus itaq; locus, qui in commendandis fluuijs occurrit, ortus est, qui quidē, sicut credo, propter longe habitantes à Danubio scriptores, in dubium uocatur. Sed cum nos Germanissimus & tales etiam pleriq; qui fontibus ipsius Danubij cohabitemus, sane nullo modo concedemus tam celebris fluuij originem incertam esse: Siquidem certum est Danubiū in Sueuis oriri in collibus Arrabonæ ad Baccenam syluam, ex colle qui Irāneus dicitur, nō lōge à Rheticis alpibus, & Rheni fontibus, inter Tridentinam & Curiensem dicecesim. Et quod quidem asserunt, Danubium ex monte Abnoui oriri, ideo fieri credo, quod mons ille aliàs Iramneus, aliàs Abnoui duplici nomine appellatus sit.

AB AMPLITVDINE.

In primo effluxu paruus est fluuius, donec peruenit ad Vlmam præclaram Sueuorū urbem, ibi recepto Hilario amne, nauigabilis primum efficitur. Qui postea sua amplitudine, donec in mare procurrit, nullibi est inferior uel Albi, uel Rheno fluuijs.

A CVRSV.

Cursu uidetur reliquos omnes fluuios Germaniæ excellere, idquē uarietatem propter. Ex fontibus primo segniter promanat, statim

ostendens suum cursum, quem postea recipit, alijs fluminibus auctus. In Boioaria celeriter fluit, ita quod subinde propter cursus celeritatem, in se reciprocetur, quasi refluxum molliens: Vnde etiam frequentes illæ reluctationes undæ & fluctus. Postea segnem ac tardū cursum tenet, usq; dum in mari se exuit. Plerisq; in locis potius cadere, quàm fluere uidetur.

A COLORE.

Colorem non semper eundem retinet, sed pro terræ uarietate, subinde mutat colorē. Dū fluit ex fontibus, glacialis coloris est. In Sueuia fusci propemodum coloris existit. In Norica turbulenta est eius aqua, fortassis propter confluentiam Aeni & Danubij. Illam turbiditatem fere retinet usq; in Euxinum.

A LOCIS QVÆ PRÆTERFLVIT.

Gētes p̄cipuæ p̄ quas abit Danubius, hæ sunt Rheti, Sueui, Boni, Norici, Pānones, Daci, Bulgarij. Sueuiam in duas partes diuidit, in superiorem & inferiorem, & allabentibus riuus fit auctior, Vlmam præclarissimā Sueuiæ urbem petit. Deinde per Gundelfingiacensium agros delatus, Laugingiacum uenit, & sic ordine ac recto cursu Vuerdeam Sueuicam, Angelostadium, Ratisponam, Parauium, Viennam, Carnum, Salinum, Taururum seu Albam Græcā. Tandem septem ostijs in Euxinum mare in-

greditur.

A FLUVIIS QVOS IN SE recipit Danubius.

Fluuij, quos in se recipit, præcipui sunt. Hilarus quem prope Vlmam absorbet, Brenza, quem prope Brenzam Sueviæ urbem uorat. Aenus, quē in se recipit Danubius prope muros Patauī, Sauus miscetur illi, prope Albam Græcam. Et sic alij sexaginta auctus fluminibus, in Ponticū seu Euxinum mare illabitur.

A PISCIVM GENERIBVS.

Inter pisces præcipuos numerantur, Accipenser, Lupi, Murenæ, Mulli & Scari. Alia genera innumerabilia sunt, maxime minorum, ut mugilium.

EPILOGVS.

Hæc uolui mei ingenij exercitandi gratia, & in uestrorum studiorum prouocationem dicere. Rogo itaq; ut utilissimum & celeberrimum Danubium Germaniæ fluuium, mecum semper commendetis.

Paradigma in quo laudatur Rhenus.

EXORDIVM.

Accidit ante triduum, suauissimi auditores, ut refocillandi ingenij gratia irem deambulatum, in illo loco, quem fessis nostris Musis, inclytus huius urbis senatus, ex singulari bene-

uolentia, colendum dedit. Et dum apud me cogitabundus iam huc, iam illuc uoluerem oculos, sicubi uiderem aliquid, in quo possem tempus deambulationi concessum cum fructu aliquo terere. Nescio quo fato obuiā se mihi tulit in animo Rhenus Germaniæ fluuius, quem propter singularem, quo ducor erga illum fluuium amorē, altius atq; altius suspicerē, cœpi illius descriptionem in animo meditari. Et ne solus tamen fruerer his delicijs, in perscrutanda Rheni natura, placuit meas meditationes et uobis communicare. Et ut ego inde ad alia uel maiora etiam calcar acciperem. Deinde ut uos Germani mecum raperemini ad talia argumenta in schola nostra tractanda. Incredibile enim est dictu, quātum utilitatis & iucunditatis adfert, terræ miracula, adeoq; illarum rerum cognitionē noscere, quibus terra alitur, atq; adgignendos fructus perfunditur. Quales sunt fluuij, qui & uictum subministrant, & inundāt terram, ut aptius ferat nobis suas diuitias. Peto igitur à uobis, ut benigniter utrorūq; studia, uestra in auscultando diligētia promouere uelit, et meā in hac re temeritatē boni cōsulere.

AB ORTV.

Oritur itaq; Rhenus amcenissimus Germaniæ fluuius ex Rheticis alpibus, quos Leopontinos incolæ uocant, non longe à Danubij & Rhodani fontibus, & fere in medio eorum.

AB AMPLITVDINE.

Vbi promanat à fontibus, exiguum riuum efficit, postea sensim ac sensim profluens, acceptis in se aliquot riuulis fit auctior: Donec peruenit in Constantiensem diœcesim, in cuius frontispicio efficit Actonium lacû, hoc est, Cōstantiensem, quod ad eum sita sit Constantia urbs, hunc æcolæ Podmicum uocant à profunditate. Postea descendens per Ceretos populos alterum lacum efficit, Venetum nomine, qui hodie Cellêsis dicitur à Cella oppido.

A CVRSV.

Circa primos fontes non defluit, sed è præcipite uertice præcipitatur, semper & ubiq; magno impetu fertur, & fluxuoso littorum anfractu, uarijs rupibus saxosisq; incitatur, donec in Germanicum oceanum incurrit.

A COLORE.

Primo ortu candida est in uniuersum Rheini aqua. In Actonio lacu mutat colorē & subnigris fit illius aqua, ita ut magno discrimine queas secernere lacus & Rheini aquam. Infra Schaffhusium Ceretorum urbem redit ad candidum colorem.

A LOCIS QVAE PRAETERFLVIT.

Præterlabitur Rhetiaë occidentem partem, Ceretos, Rauracos, Tribotes, Nemetes, Vangiones, Magunciacos, Confluentiam, Vbios,

Sicambros . In Hollandia seu Batavia multis
ostijs in oceanum Germanicum effunditur.

A FLVMINIBVS QVAE IN se recipit.

Ex præcipuis sunt: Necharus, Mœnus, quē
prope Maguntiam haurit, Mosa & Scaldis, &
Mosella. Et ubi oceano proximus est, in plures
defluit partes, multis ingentibusq; insulis effe-
ctis, quarum tres fere à Phrisijs, ac reliquæ à Si-
cambris & Hollandis habitantur.

A PISCIVM GENERIBVS.

Pisces perpaucos habet, sed magni præcij,
& optimi saporis: Quales sunt esoces, capito-
suli, lupi & monoculi.

EPILOGVS.

Epilogus breuissima et optima cōmēdatiōis
argumenta cum cōmotione adfectuū repetit.

De commendatione domorum.

Partes orationis necessariæ ad cōmendationē
domorū sunt tres. Exordium, Narratio, Epilo-
gus, Confutatio raro hic habet locum.

Atrio & area.

Magnitudine.

Figura & materia .

Cubiculis & conclauiibus.

Situ.

Prospectu.

Penetralibus, triclinijs, alijs,

q; coniunctis structuris.

Horto.

Loci nar-
rationis,
quib⁹ cō-
mendan-
tur dom⁹

} ab }

Paradigma in quo laudatur domus
Reymundi Fuggericiuis Augustanæ
urbis apud Vindelicos à Beato
Rhenano obiter aliàs tractatū.

EXORDIUM.

Cessatum est hætenus à nobis, excellentissimi uiri, atq; adollescentes optimi, publicis de clamationibus uobiscum agere, non tam nostro damno, quàm omnium Musarum dolore, ac miserando fletu, quæ præfente bello lugent, & fugatæ peregrinas sedes quærere coguntur. Silēt enim leges inter arma, ut ille ait, uolens tacite ostendere eloquentissimus Orator, iura & Musas præfides legum in Mauorti ali tempore nullum habere certum locum: Sed Deo gratia, qui mirabilibus modis reduxit nobis pacem, quam hætenus in magno luctu cupiuimus, in suum locum, è quo translata erat, restitui, uno ore oēs flebiliter canentes: Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. Speramus itaq; futurum in hac præclarissima urbe, quod breui religionis & uirtutis studia, suam pristinam dignitatem sint receptura, quæ in maximo contemptu per nubila hæc tempora oppressa neglectaq; iacuerunt. Et ut hac de spe certi sitis, prodego ego primus, in hanc ueterem studiorum palæstram, non quidem meo instinctu aut iussu, sed magnifici domini recto

ris, aliorumq; doctissimorum uirorum autori-
tate & diligenti admonitione, quasi de interi-
tu reuocaturus literas. Confido aut uos æquis
auribus me auditurum esse, qui non de tetricis
aut tristibus rebus institui dicere. Verū de re et
iucunda & amœna, uidelicet de ædibus Rei-
mundi Fuggeri fidelissimi Mæcenatis studio
rum dicturus, quò uobis conceptam, apud ani-
mum propter belli iniurias, molestiam expel-
lam. Deinde uos ad tanti Mæcenatis amorem
prouocem, qui nō minori studio prosequitur
artes, in reparandis totius Europæ antiquitati-
bus, quàm nos, qui legendo et scribendo sequi-
mur Musas. Animaduertite igitur sedulo, &
me dicere incipientem, in hæc uerba accipite.

AB AREA.

Antequam uero ad ipsam domum perueni-
am, primum de area descriptione agendū erit
quæ prima occurrit ante ædes, marmoreis mu-
ris septa, & eo quidem artificio parata, qd' sub
ea sint cæci canales subterrestres, qui omnem
aquam de atrio decidentem in se recipiunt, ne
area uel lutosa, uel lubrica reddatur. Est præ-
terea maiorem ob mundiciem area illa lapidi-
bus marmoreis strata, q in summo nitore, splē-
dente sole, magna uoluptate, idēq; propter re-
plicationem radiorum uidentes afficiunt.

AB ATRIO ET TABLINO.

Relicta area illa ad atrium peruenitur, quod

est primus intra ædes aditus, genus ædificiū, ut fertur, Italici, hoc tecto ornatum est, auro ob-
linito, & acutis septem turriculis, non quidem
alte, sed artificiose eductis. Huic proxime ad-
hæret ædificium, quod ueteres tablinum uo-
cabant, & potest hodie appellari cantorale il-
lud ædificium, in quo mercatores sua rationa-
ria reponunt. Hoc non solum rationarijs ple-
num est, sed etiam monumentis, quæ continēt
res à Fuggerorū stemmate insigniter ac labo-
riose gestas, circa quod etiam pendent fortissimū
illorum animorum fabricatæ aliquot imagi-
nes, unā cum affixis hostium spolijs.

AB AMPLITVDINE.

Amplissima autem domus est, habens in lon-
gitudinem ducentos pedes & triginta: In lati-
tudinem quadraginta & centum: In altitudi-
nem quadringentos.

A FIGVRA ET MATERIA:

Lapidibus marmoreis, quadratis, albis, &
translucidis, extructa est, qui oēs multis sum-
ptibus delati, uarias historias incisas continēt,
inter quas prima occurrit de triumpho Cæsa-
ris contra Galliæ regem, mira industria excul-
pta, in qua cernuntur multa hominum milia,
tam peditum quàm equitum, hi acutis & radi-
antibus hastis, illi machinis bellicis, & oblon-
gis perticis concurrere, donec Galli in fugam

uerſi, relinquunt poſt ſe regem Ludouicū cata-
phraſto equo inſidentem, quem Cæſariani ca-
ptiuum unā cum duobus filijs ad Cæſarem ab-
ducunt. Huic picturæ & aliæ complures adiū-
ctæ ſunt, quas hic prætereo.

A CUBICVLIS ET CONCLAVIBVS

Cubicula & conclauia omnia teſtudinibus
clauſa habet, hypocauſta latiffima, aulas ſpaci-
oſiffimas. Cubicula & hypocauſta inuicem ſu-
marijs coniūcta elegantiffime, reſpōdentibus
inter ſe oſtjijs in meditullio domus, quibus de
conclau in conclauē tranſitur. In his paſſim ex-
quiſitiſſimæ picturæ cernuntur, ex Italia adue-
ctæ, multæ etiam Ionicæ tabulæ manu Lucæ
Cronburgij feliciter abſolutæ. In ſuperioricœ
naculo tot ac tanta monumēta antiquitatis p-
ſpiciuntur, ut uix ullo Italiæ loco plura credi-
derim apud unum hominem reperiri. Vbi pri-
mus occurrit, conſpiciendus Iuppiter cum ſuo
fulmine, quem ſequitur Neptunus cū ſuo tri-
dente, Mercurius cum ſacculo petaloꝝ. Pal-
las cū Aegide, & ſunt alij dñj, quos uix præ ue-
ruſtate agnoſcere licet. Numiſmata deinde
ſuo loco iacent. Præterea ſimulachrum lapide-
um illic uidetur Circe, ea nuda recumbit inni-
xa dextro brachio, circum ſe in margine tabu-
læ marmoreæ, uarias beſtias habens, & adhuc
magica ſua uirga, quendam in brutum conuer-

20
tens. Alterum deinde secretarium est, quod tã-
tum faxeas statuas cõrinet, in quo uidere licet,
Dianam cum Luna & pharetra, Apollinem,
Mineruam, Venerem cum Cupidine, Taurũ,
qui uehit nudam puellam, tensis brachijs auxi-
lium implorantem. Sed de his satis.

A SITV ET PROSPECTV.

Quantum ad situm & prospectum attinet,
plane regia domus est, urrinq; prospectum in
hortos habens, præterea in semoto à publicis
negocijs & strepitibus loco iacens.

A PENETRALIBVS ET triclinijs.

Penetrale unum habet, in quo sacellum est,
diuo Sebastiano sacrum, cum subsellijs ex pre-
ciosa materia faberrime factis, quod tamen mi-
rifice exornat picturæ intus & foris insignes.
Triclinia duplicia habet, autumnalia & uerna,
ad conuiuandum illis temporibus ualde opor-
tuna & conuenientia. Autumnalis fenestræ ad
Orientem spectant. Vernalis ad Septentrio-
nem. His adde frigidarium, unctuarium, Co-
nisteria, aliasq; ex minutioribus structuris in-
numeras.

AB HORTIS ADIACENTIBVS.

Hortis duobus adiacet, quorum alter ædi-
bus cohæret, alter interstire publica uia, sed an-
gusta separatur, quid plantarum nutrit Italias

21

illud omne in hos hortos commigrasse credo,
quæ ibi topiaria, quæ pergulae, quæ arbores, &
fontes fusilibus deorum simulachris ornati.
Fama supra modum celebrat Ludouici regis
Gallorum hortos, sed ad hos comparati illi, ni-
hil sunt.

EPILOGVS.

Epilogus constat enumeratione argumen-
torum breui & commotione adfectuum.

Paradigma in quo laudatur
domus Henrici Fpulichij.

EXORDIUM.

Sæpe mecum decreui, humanissimi audito-
res, à declamandi exercitio prorsus desistere,
ingratoq; mundo ingratos suos cultores relin-
quere, sed nedum quidem sæpe cōcepto apud
animum proposito, satisfacere potui, unde autē
fiat, & quis meæ inconstantiæ autor sit, incertus
ipse sum. Quāquam hac uice in uniuersum me
cum statuerim, post hac nunquam in hanc ca-
thedram declamandi gratia conscendere: nisi
uel mundus resipuerit, uel quidā ex uobis me
liorem induerint mentem. Video enim me &
oleum & lampadam perdere, ne quid de mea
paupertate dicam, quam ego omnium laborio-
sissimus propter uestram ingratitudinem fer-
re cogor: Ideo in gratiam uestram nunc non
declamo, sed in gratiam, & honorem humanis

simi uiri Henrici Fpulichij, qui subinde in laudatissimis suis ædibus meam inopiam subleuat. Ut sic aliquo modo egome gratū pro illius beneficijis ostendā, quæ in me extant innumera. Itaq; eius domum pro uirili laudaturus. Et ne uos prolixo exordio onerem tædioq; afficiam placet ab areæ descriptione sumere exordiū.

AB AREA.

Area quæ domum præcedit & ipsum atrium lapidibus quadratis strata est, & arenæ cumulis ultra superficiem illius plateæ aliquo modo altius educta: Quare omni luto caret, & semper est præ reliquis istius plateæ partibus mūdior. Hæc primo aspectu satis arguit, quæ intus in domo sit mundicies, & omnium rerum polita structura.

AB ATRIO.

Atrium ualde proëminet in stratam illam aream, & utrinq; trāslucas habet fenestras, cuius ianua ex puro marmore, uarijs imaginibus ornata constat.

A FIGVRA ET MATERIA.

Figura domus castrum refert: Nam uestibulum habet, ponte à uera domo diuisum. Itē turres & propugnacula ab omni parte ædium in muros inclusa. Lapidēs, quibus ædificata est illa domus, maiori ex parte lateres sunt coctiles, exceptis angularibus, qui partim marmo-

83
rei, partim silicini sunt, pulchre per omnia lapidicinorum opera elaborati. Tegulae è saxis scissilibus sunt, è longinquis terris aduectae. Trabes cedrinae & acerinae. Testudinata plerisque locis est domus, & columnis marmoreis suffulta, quarum epistilia ad antiquitatis exemplar exculpta sunt.

AB AMPLITVDINE.

Longior est quàm ampla, ita quod in longitudinem habeat trecentos pedes. In amplitudinem tantum centum & quadraginta. In altitudinem quadringentos habet pedes.

A CVBICVLIS ET CONCLAVIBVS.

Cubicula & cōclauia ampla atq; ornata sunt & omnia testudinata, in quibus uariae ac preciosissimae merces iacent, uidelicet in illis, quae circa terram sunt extructa. Ea quae superiori in parte domus existunt, pulcherrimis thalamis ex cedrino ligno factis, instructa sunt. Præter hæc hypocausta amplissima habet, & ambulacra spaciosissima. Item cubiculū quod ueteres saluatorium uocant, in quo dominus. & pudicissima eius uxor cubant, hoc lōge cultissimum est, tum ob deaurata laquearia, tū ob reliquum ornatum, & thalami ipsius non uulgarem elegantiam. Hoc sequitur cœnaculum supra omnem modū exquisitissimum, in quo æstiuale tēpore cœnit, quod ex aduerso uer-

14
Etuarium habet, in coniugis ac filiarum usum
paratum, in quo & comunt se, & pro more un
guentant, ut eò habiliores sint ad ducēdas cho
reas. His adde conisterium, porticum, coqui
nam pensilem, cellaria decem &c.

A SITV ET PROSPECTV,

Et quum maxime requiratur, quo in loco
ædes sitæ sint. Est itaq; hæc domus Fpulichij
apud forum sita, in ea parte, ubi optima merca
turæ bona uenalia habentur, prope eum locū,
ubi mercatores ad distrahendas merces con
ueniunt. Prospectum liberum habet, fluiuium
Pegnosum allabentem, non procul à diui Se
baldi templo.

AB HORTO.

A postica parte horto ornata est, in quo o
mnium arborum, omniumq; selectissimarum
herbarum miranda cernitur copia, quæ ex sca
turienti fonte irrigantur, cuius canales in cælū
usq;educti, mirabili artificio expuunt aquam.

EPILOGVS.

Epilogus suis cōstat locis, ut supra dictū est.

**De commendatione frumentariæ na
uis Hieronis Syracusanorum regis, à
Budæo aliàs tractatum.**

Commendatio nauium easdem habet par
tes orationis, totidemq; numero, quot superi
ores res.

Loci narra-
tionis qui-
bus cōmen-
dāt naues.

} A {

⁸⁵
Magnitudine.

Materia.

Fabris.

Conclauibus & contigna-
tionibus.

Apparatu, & rebus necessa-
rijs ad nauem.

EXORDIUM.

Non inepte dixit ille, qui fabros fabrilibus gaudere scripsit, ornatissimi uiri, iuuenesq; studiosissimi, hoc enim dictum uerissimū esse, in hoc meo instituto satis superq; expertus sum. Dum iure deberem aliorum exemplo, ad magnificas res accendi, in illisq; mihi laudē quærere: Nescio quo fato, etiam præter meam uoluntatem in commendationem nauis incurro, non ex alio impulsu, sicut credo, nisi quod ille dixerit uere, fabros libenter tractare fabrilis. Et quanquam ego non sum neq; faber, neq; nauta, tamen quia parens meus nauium præsidio uixerit. Ideo & ego ex hæreditario instinctu ad nauium admirationem rapior. Dedit præterea etiam non exiguam occasionem mei instituti, ut ingenue ueritatem fatear, quod his nostris temporibus pleriq; satis præsumptuo secōtra honestissimam antiquitatem, suas res præsentis admirentur atq; iactitent, contēdentes hodie & maiores & ampliores naues repe-

riri, quàm olim apud ueteres. Quo autem illorum temeraria ignorātia omnibus innotescat, & nos habeamus, quo illis nugatoribus ueneranda antiquitate occurramus. Quare ad Hieronis regis Syracusanorum frumentariam nauem commendandam accingar, qua neq; maior neq; amplior fuit, testibus multis historiographis, in mundo: Licet & aliæ non longe inferiores extiterint, ut Persarum naues, et regis Philadelphi, tamen hæc reliquas omnes, tum magnitudine, tum amplitudine, tandem & ipso apparatu superauit. Et ut me libenter audiat, oro: Nam & nostrum ualde interest, admirari naues, qui cohabitamus mari, & cogimur nauigando uictum quærere.

A MAGNITVDINE.

Magnitudo itaq; primum uobis ostendenda est, de hac enim apud nostrates crebra incidit mentio, quando disputatur, an hodie maiores naues sint, quàm apud ueteres, & è contra. Illa apud nostros ex dimensione pedū & uelorum cōiicitur. At apud antiquos magnitudo nauium, non ex pedum aut uelorum mēsurā, sed ex copia remorum, & illorum ordinibus colligebatur. Sic Ptolomæi Philopatris nauigij magnitudo æstimabatur ex quadraginta ordinibus remorum: Philadolphi ex tricenis ordinibus, uicenis &c. Ita & quanta Hieronis nauis fuerit, colligitur numero triremo-

rum, quorum sexaginta habuit, è quibus facile illius nauigij magnitudo conicitur. An uero hodie tales naues existant, magnitudine conferenda cum his iam prædictis, uiderint inexpecti nostri nugatores, disputantes de rebus incognitis.

A MATERIA.

Ad hanc ædificandam curauit rex aduehendam materiam ex Aetna monte: Aes, ferrum, cannabim, reliquaq; quib⁹ opus erat ad instrumenta nautica paranda, partim ex Italia, partim ex Iberia, partim Rhodano flumine comparauit.

A FABRIS.

Trecentos operi faciendo fabros artificesq; adhibuit, præter ministros fabricæ subseruientes opificijs, præfecto summo operis Architecto Archia Corinto. Quos ipse rex cum semper instigaret ad aggrediendum opus, insuper etiam dies totos operis se curatorem exactorēq; præbuit. Hac diligentia, his artificibus, hoc Architecto, rex ille Siculus dimidium tantum nauis intra sex menses perfecit: Quo facto, inchoatam comodo nauem, in mare deducendam mandauit, ut illic extremas manus opificum adipisceretur. Verum quum de ea in mare deducenda excitata quæstio multis contentionibus esset, ad extremum Archimedes ille mechanicus famigeratus, solus deducendā

suscepit, paucis adhibitis operibus, cōpacta q̃
clauicula machinali, quod suscepit, perfecit, tā
ta mole nauigij confestim in mare deuoluta.

A CONCLAVIBVS ET
contignationibus.

Erat illa nauis triplici contignatione. Harū
infimam contignationem oneri & mercibus
delegauerat, ad quam descensus scalaris multi-
plicibus erat. Ad mediam contignationē tran-
situs alter erat, arte mechanica factus, in qua ip-
sae cōtignationes erant numero triginta, secun-
dum utrunq; latus nauigij extructae. In his le-
cti quaterni strati, uiris accōmodati, inter quos
nauclerum conclaue quinq; lectorum capax
erat. Præterea thalami tres in eadem contigna-
tione erant, culinaq; supradictis locis subserui-
ens ad puppim ædificata. Omnes autē supra-
dictae cōtignationes pauimento stratae erāt, tes-
sellis uermiculato lapidis omnis generis. In eo
pauimento Troiani belli fabulamentum uisen-
do artificio concinnatum legebatur. Cum alio-
quin ea omnia ædificia tectis laqueatis, & po-
stibus exornati spectabili opere essent. Sūma
pars nauigij gymnasium habebat, ambulationesq;
laxas, pro portione magnitudinis suae,
quas etiam ipsas simul ambientes horti omni
genere stirpium complectebantur, fictilibus
in uasis & plumbeis confitorum simul hederarū
uitesq; opacabant pampinis ac corymbis in-

umbrantes, quarum radices alebant dolia terræ plena, pariter quidem illæ cum hortis machinamento irriguæ. Ab his erat Aphrodisiū id est, conclaue Veneri deæ sacrum, instrumentum etiā ipsum triclinari lectisternio pavimentoq; stratum, achate lapide alijsq; uarijs & nitentibus distincto, cuiusmodi lapidum copia in Sicilia reperitur: Ac parietes quidem habebat cupressinis tabulis asseribusq; contextis, laqueatumq; rectum eadem materia. Fores etiam ex ebore, odorataq; materia compactas, atque eo amplius pictura exornatas. Deinde erat exhedra quinque lectorum capax, quorum parietes postesq; buxo compacti erant, inibi quæ bibliotheca, & in lacunari sphaera ad imitationem eius solarij effecta, quod in Achradi na erat situm, quæ insula est Syracusanorum. Huic loco balneum iunctum erat, in quo tres lecti erant cum folio metretarum quinque capaci, quod ex uario lapide exculptum erat, & tribus æneis caldarijs. Mitto nunc habitationes militibus destinatas, ijsq; qui super sentinam erant. Mitto equorum præsepia ab utroq; latere nauigij dena numero sita cum frenis et stratis, & omni equitum instrumento, corūq; ministerij atq; equorum pabulo. Præterea lignarium, clibanos, focos & piscina, aliaq; ministeria in proiecturis naui prominentia. Quid dicam turres octo, binas in prora & puppi, & p

utrumq; latusexstructas, in murisq; propugna-
cula. Præter hæc machina erat in medio cata-
stromate super tripodes excitata, aliaq; ma-
chinamenta propugnatoria, ut coruos, lupos,
& in summo malo carthesia ænea lapidum cō-
ceptacula, ad lapidatiōem faciendam in hostiū
nauigia. Hæc & alia adhuc multa habuit, quæ
hic omnia enarrare longum esset.

AB APPARATV ALIISQVE
rebus necessarijs instrumen-
tis ad nauem.

Triremes sexaginta habuit, mala summa,
mediocria, & infima uiginti, totidemq; anten-
nas atq; uela, quæ duplicibus antennis alliga-
ta erant, & quamuis amplitudine antennarū,
singulæ arbores sufficerent, super eas tamen
adhuc addita erant alia uelorum uela, præter-
quæ alia in proris, & alia in puppibus pende-
bant. Rudentum non erat numerus &c.

EPILOGVS.

Epilogus constat prædictis locis.

**De commendatione agro-
rum & hortorum.**

Partes orationis nō sunt hic plures, quàm
in superioribus rebus.

Agri lau } Quid ferant, & quantum.
 datur ab } Quo ritu colantur & situ.
 his. } Quales cultores requirāt. (ferāt.
 } Quot arborū & herbarū genera
 } A p̄dijs & reliquis amcenitatibus.

Paradigma in quo laudatur ager
Dorophagi.

EXORDIUM.

Extat inter apologos, qui Aesopi nomine
 circumferuntur, insignis fabula, ornatissimi ui-
 ri, iuuenesq; placidissimi, piscatorem quēdam
 artis piscatoriae inexpertum, tibijsq; ac rete as-
 sumptis, iuxta maris littus accessisse, atq; in sa-
 xum quoddā conscendisse, in primis rubicina
 re incipiens, putans cantu se pisces facile captu-
 rum esse. Verum cantu cū nullum faceret fru-
 ctum, depositis tibijs, rete in mare demittit, ac
 pisces cepit per plures. Sed cum ex reti pisces
 extraheret, atq; eos saltantes prospiceret, non
 insulse ait: O improba animalia, dum ad tibiā
 cecini, saltare nolulistis, nunc quia canere cesso
 saltus datis assiduos. Et monet hęc fabula, oīa
 probe fieri, quæ fiunt tempore suo. Sic & mihi
 hactenus contigit in celeberrima hac Acade-
 mia, q̄ frequētibus exercitijs, speravi me apud
 uos id effecturum, ut uos primū ad studia ala-
 criorum facerem, deinde collapsam fere nostrā
 scholam repararē, sed spe frustratus, nihil aut

parum effeci, fortassis qui non oportuno tempore, neq; idoneis exercitijs usus sum. Quare optimi auditores, denuo accepi argumentum pro uirili tractandum, & uiribus meis, & tempori aptum, ut sic tandem depositis prioribus exercitijs, nouis quodammodo, uos saltantes, & alacres auditores facerem. Commendabo autem hac hora agrū uicini nostri Dorophagi, qui ut est omnium agrorum longe amoenissimus, ita etiam non potest commodius, quàm hoc uernali tempore describi. Vos date operā ut singulari iudicio & fauore me audiat. Siquidem non est alia materia, ipsa agricultura, uel iucundior uel melior.

QVID FERAT ET QVANTVM.

Verum cum ea maxime delectent & incitent quæ aliquid utilitatis secum adferunt, sane hoc agro nihil est utilius, si spectare uelimus, uel fertilitatem, uel frugū diuersissima genera. Quantum ad frumentum attinet, triticum selectissimum profert, è quo leuissimus panis paratur, qui etiam Gallici panis leuitatem non modo superat, sed longe post se relinquit. Hordeum optimum, è quo delicatissimi saporis cercuisia coquitur, quæ propter suam nobilitatem ad diuersas regiones uehitur, apud quas præcipue æstiuale tempore, loco optimi uini bibitur. Ex leguminibus fabas gignit, rotundas & amplas,

quæ non nisi in magnis conuiujs suum habere locum. Rapas prolongas & suauissimi saporis. Napum salubrem & dulcem. Præter hæc farraginem tritici generis frumentum producit, quo utuntur ad saginanda quadrupeda. Item cicerem, milium, panicum, lentem, alicam, aliaque genera tam frumenti quam leguminum infinita, ut taceam gramini diuersas species, quas hinc atque illinc in summa amœnitate gignit. Cæterum ita tamen omnia producit, non ut frigide aliquo modo respondeat cultori, sed cumulatissime. Quare etiam sæpe uni stipiti tres aut quatuor spicæ adcretæ cernuntur. Durant uero huius agri fructus ad multa secula, ita quæ in historijs legatur, triticum ex hoc agro collectum, ad trecentos annos durasse.

QVO RITV COLI VELIT,
quales cultores requirat & à situ.

Hic ager in colendo autumnale tempus amat quo uult coli. Et ut iuxta Plinij sententiam necessarium est colere agros. Ita nimium colere damnosum. Alij enim agri stercora fimumque requirunt. Hic præter argillam purumque lutum, nihil. Hoc etiam sibi proprium uendicat, quod non patiatur fœmineas manus, quas statim ubi inter colendum sentit, uidetur in alium colorem mutari terra. Situs autem est in æstuoso loco, & ne præ solis iniuria corrumpatur, se-

ptētrionem spectat, ab omni parte habens salubrem amnem circumfluentem, & irrigantem illum.

AB ARBORVM ET HERBARVM generibus.

Arbores ppauca habet, idq; propter insalubritatem. Est enim omnis aura insalubris, & maxime antelucana, quæ ex arboribus aduersè positis prouenit, adeoq; noxia agris. Herbas sua sponte sine omni cultura crescentes has sequentes producit : Lauendulam, maioranam, agrimoniam, buglossam, aliasq; complures.

A PRAEDIIS ALIIS QVE amenitatibus.

In medio agro pulcherrimum prædium situm est, & propter pluralitatem fenestrarum translucidum, quod septem turriculis, prælongis quidem, sed instar pyramidis coarctatis ornatum est, e quibus prospectus patet amenissimus, ad agros hortosq; circumiacentes. Præterea tribus splendidissimis cœnaculis instructum est hoc prædium, in quorum supremo, ipse Dorophagus unà cum dulcissima uxore, & liberis conuiuari solet. In medio serui suas mensas habent. In infimo coquina est, cuius fumarium pensile est. Circa prædium ualles, aggeres & piscina, in qua picti esocum soboles, mugiles, capitosuli, aliaq; complura piscium

95

genera ludunt: Aqua istius piscinæ ē uiuo saxo profluit, positis ad hoc miro artificio canalibus, in auras usq; æthereas aquam expuentibus. Sed de his hæcenus.

EPILOGVS.

Epilogus suo more texendus est.

De commendatione horti Martini Spulerij Lubecensis.

EXORDIUM.

Quantæ curæ semper fuerit antiquitati sua uisissimi auditores, agrorum et hortorum admiratio, repeterem hac oratione, nisi longum & tædiosum esset, post doctissimos uiros, uel multa dicere, uel nō pari grauitate, qua illi in agris & hortis commendandis sunt usi. Tamen ne prorsus sine omni exordio, & ut dicitur illotis manibus, rem de qua dicere institui, aggrediar, uisum est paucis animos uestros, amoenissimorum hortorum enumeratione, ad illorum amorem præparare, ut intelligatis antiquitatem nihil prius miratam esse, quàm iucundos hortos. Inde sunt Hesperidum puellarum horti in magna admiratione habiti. Item Adonis & Alcinoi regum, & Semiramis horti peniles luculentissimi. Quos igitur hortorū dominos si nō puduit, herbis ac arboribus diligentissimam nauare operam, atq; in illis se mirari-

g

ce oblectare, neq; mihi probro dandū est, quī
 tantis regibus longe sum inferior, si illorū ex-
 emplis motus, in hortorum commendatione
 aliquot horas collocem, præcipue qui non in-
 gratos hortos neq; inconcinnatos, sed amce-
 nissimos & luculentissimos commendare de-
 creui: Nimirum quorum possessor est hodie
 prudentissimus uir Martinus Spulerius, quiq;
 nobis quotidie inter deambulandum primi oc-
 currunt. Spero autem uos bono animo cōsul-
 turos hanc meam operam, qui scitis me tantū
 propter uestra commoda huc uenisse.

QVID FERAT ET QVANTVM.

Videor autem mihi commode exordiri à
 fructibus, quos fert Spulerij nostri hortus. Nā
 hi potissimum ad alicuius rei amorem prouo-
 cant. Producit itaq; uaria fructuum genera. Ex
 pomis, cotina, punica, persica, citrea, musea, or-
 biculata, martiana. E pyris, anciana, cucurbiti-
 na, cirita, calculosa, crustumnia, decimana, me-
 ropia, orbiculata, rubelia & mespilia fera. Fi-
 corum genera duo gignit, albulas, & harundi-
 neas. E nucum generibus, amygdalam, iuglan-
 dem, auellanam, castaneas &c. Quos fructus
 omnes singulis profert annis, præter aliorum
 hortorum morem, qui hoc anno ferunt fru-
 ctus, alter non.

AB ARBOR. GENERIB. ET HERB.

Arbores tot habet, quot nunc fructuum ge-

nera recensui. Præter illas tamen adhuc alias habet, quas ueteres inter felices arbores computarunt, ut est quercus, esculus, superus, fagus, sorbus, cornus. Ex infelicibus est ficus atra, pyrus syluatica, Ruscus, rubus & sentis, aliaque quæ in tutela inferorum deorum esse olim putabantur. Ex herbis præcipue sunt: Lauendula, salvia, hyacinthus, maiorana, ruta, buglossa, abroreanum, aliaque complures, quæ quia plures sunt, quàm quod paucis possint à me enumerari, igitur illas omitram.

QVO RITV COLI VELIT, QVA-
les cultores requirat, & à situ.

Et quia hic hortus in Aquilonem uergit, quare coli uult inter solstitium & autumnæ æquinoctium, finem uno pede altum requirit, nec solum purum, sed argilloso terra mixtum. Pergulas planas, & instar puluinaris suffultas exoptat. Fœminarum manus in uniuersum ferre non potest, uirorum culturam non nisi multissimam & exquisitissimam requirit. Aqua qua irrigatur hortus pertico est puteo, organisque pneumaticis elicitur, quæ non nisi pergulas seu thoros perfundit, sicco interim manente sulco.

A PRÆDIOLO ET ALIIS AMOEN.

In eo prædiolum pulcherrimum iacet quod nostrates hodie uoluptatis domum uocant, hoc ad epulandum & conuiuandum aptissime est paratum, omniisque supellectile necessaria lau-

tissime instructum. Præterea muro & aggeribus duplicibus cinctus est hortus. Ianua ab atrio per pontem diuisa est. In fossis circa murum uaria piscium genera ludunt. Selectissimos autem pisces continet fossa circa prædium ducta, quam profluit profluus amnis, clara aqua ad fundum usq; translucidus.

EPILOGVS.

Epilogus constat sæpe dictis locis.
Huc pertinent laudes ruris, arborum, frugum
herbarum &c.

De commendatione montium.

Commendatio montium in eadẽ orationis partibus absoluitur, quibus superiores cõmendationes.

Loci narratio	Radicibus.
nis quibus cõ-	{ Rebus, quas habent, nouis,
mendantur	
montes à	Prodigijs.
	Rebus memorabilibus.

Paradigma in quo laudatur Aetna.

EXORDIUM.

Nescio qui fiat, humanissimi auditores, quod semper uehementius rapiamur ad externarum regionum res memorabiles, neglectis interim & contemptis illis, quas apud nos natas conspicimus: tanto sæpe ardore, quod etiam illas

res peregrinas admiremur, quæ plane nullius sunt momenti. Sic in cælum usq; extollimus uniones & margaritas è longinquis terris aduectas: Herbas & radices in Italia natas ad stuporem suspicimus, magno precio sæpe ementes illas, quas prodesse ignoramus etiam. Ita & mihi multorum exemplo contingit, qui in hac nostra patria complures haberem mōtes, qui propter memorabiles, atq; nouas res, digni essent, ut præ aliarum regionum mōtibus commendarentur: Tamē quia peregrina plus adficiunt & delectant. Igitur patrijs montibus posthabitis, ad Aetnam Siciliae famosissimum montem me contuli, illius laudes apud uos humanissimos auditores decantaturus. Ea conditione, ut si externorum montium commendatione exercitator factus, tandē accingar quoq; ad nostros, qui si non excellunt peregrinos per omnia, tamen multis in rebus præferuntur illis, cum altitudine, tum amœnitate. Peto aut à uobis, ut me libenter audiatis, & simul mutua studia nostra iuuetis.

A RADICIBVS.

Radices quas habet è nobilioribus sunt: Repontica, Asclepia, Aronicum, Astrania, Ambrosiana, Baccara.

A REBVS QVAS HABET NOVIS.

Præter reliquorum montium dispositionē,

cacumen nudum & planum habet, infima eius pars aquis hac atq; illac fluētibus, amœna est, in medio sylua cinctus est, quæ diuersis ex arborum generibus constat, in qua immanissimæ bestię complures reperiuntur, non mitiores, quàm est tota Aetnæ natura.

A PRODIGIIS.

Prodigijs præter alios montes propemodū infinitis dotatus est Aetna mons: Tonat enim perpetuo horrificis ruinis. Interdum atrā prorumpit ad æthera nubem, nonnunquam turbines emittit piceo & candente fauilla fumantes, simulq; globos flammarum ad sydera usq; extollendo. His adde frequentes illas eructationes scopulorum auulforum uiscerum montis, & liquefactorum saxorum sub auras. Præterea exæstuationes quas cum gemitu quodam ex imo fundo conglomerat in æthera usq;.

A REBUS MEMORABILIBVS.

Memorabiles res infinitæ in Aetna conspici possunt. Ex quibus nō infima est, quod Aetnæ fauilla Taurominiū & Calanam usq; perueniat, fragor uero ad Maronem & gemellos colles. Porro attingunt Aetnam montem, scopuli Cyclopum tres, portus Vlyssis, Colonia, Catina. Hoc monte dicunt pœtæ Enceladi gigantis ictū à Iouis fulmine corpus urgeri, qui flammās ignitas expuit. Hic quoties fessum la-

tus motat, omnem Trinacriam mouet, & totū
cælum subregit fumo. Apud Aetnam quoque
Vlyſſis relictī focī Polyphemo Cyclopum
principi, ingentem oculum effoderunt. Faciet
ad amplificationem ubi Polyphemum & do-
mum eius descripseris, aliasq; res memorabi-
les hæctenus à nobis propositas.

EPILOGVS.

Epilogus iuxta prædicta præcepta colligen-
dus est.

Paradigma in quo laudatur Atlas
Mauritaniæ mons.

EXORDIUM.

Nō defunt fortassis, clarissimi uiri, q me pue-
riliter agere iudicabunt, quōd toties ad decla-
mandum huc uenio, quum ego propter æta-
tem, ac meæ personæ grauitatem, & deberem
maiora studia admirari, ac sequi grauiora. Il-
lis responderem in hoc exordio, nisi timerem
ne respōdendo limites procemiū iustos exce-
derem: Tamen ut interim habeant mei institu-
ti rationem, si qui iam hic sunt præſentes oſo-
res, qua se contra cauillationes muniant, pau-
cis hæc remedia illis propono: Scientes me nō
mea de caussa puerilia tractare, neq; me igna-
rum adeo esse, aut inexpertum, qui nescire de-
corum, quod ætati & personæ meæ conueni-

ret : Sed privatae utilitatis me prorsus oblitū,
 neq; aetatem meam, neq; personam me agno-
 scere, quæ omnia communis pueritiæ commo-
 do, negligenda esse duxi, non dubitans in mul-
 torum cauillationes potius incurrere, quam
 non strenue promouere studia uestra, quæ ne-
 gligi exoptant, qui me ad grauiora auocant.
 Cæterum ut ad propositionem recurrā, osten-
 damq; qua de re nunc dicturus sim, suscepi in
 gratiam uestram commendare Atlantē Mau-
 ritaniæ montem, quem propter multa memo-
 rabilia eleganter descripsit Vergilius in tertio
 Aeneidos, Plinius copiosius & limatius, quos
 tanquā duces mea oratiōe sequar, & illa in or-
 dinem redacturus Rhetoricum, quæ illi spar-
 sim, & extra compositum ordinem sparsere.
 Vos autem, qui me repuerascere libenter audi-
 tis, operam meam boni consulite, reliquos par-
 turientes ad maximas quasq; res, montes, suis
 cum cauillationibus, propriæ conscientiae re-
 linquam, donec discant & honestum & deco-
 rum esse, etiam hominem senem cōmunis iu-
 uentutis bono, ad puerilia redire.

A RADICIBVS ET ALTITVDINE.

Radices uero quia & notos faciunt montes
 & singulariter uidentur cōmendare illos. Igi-
 tur placet nobiliores tantum uobis exponere.
 Calamenti multum habet, ad euacuandū sple

nem ualde salubre. Radice Altea abūdat, qua
utuntur medici in confortādo pectore & pul
mone. Radices petroselini in eo crescunt sine
herbis. Item radices feniculi, renes ex natura
calefacientes. Radices Apī, Spargī & Brusci
largissime gignit, quarum usus est, in calefaci
endo splene. Quas uero alias adhuc radices p
ducit, ubiq; apud medicos legitur. Plinius scri
bit in eo reperiri herbam Euphorbiam nomi
ne, cuius lacteum succum miris laudibus cele
bratur in claritate uisus, contra serpentes &
omnia uenena. Idem dicit imas eius partes de
sis altisq; syluis repletas esse, incognito genere
arborum, quarum tamen frōdes cupressi sunt
similes. Proceritate spectabili est, arduaq; late
ra habens, cuius altitudo aliquot millium spa
cio patet: Quare ab accolis columna cæli no
minatur.

A REBUS QVAS HABET NOVIS.

Reliqui montes aut plane nudum habēt ca
cumen, aut prorsus tectum arboribus. Hic ue
ro Atlas in supremo uertice, pinifero capite
ornatus est, quod paucis, sed altissimis arbori
bus constat, hoc flantibus uentis nūc huc, nūc
illuc pulsatur. Medius mōs una à parte omni
no nudus apparet, splendente sole mirificos
de se dat radios. Infima pars pascuis admodū
iucunda & fertilis est.

A PRODIGIIS.

Huius uertex etiam æstate calidissima semper altis niuibz est tectus, præterea atris nubibus. Flumina quæ ex Atlante descendunt, præ glacie semper sunt horrida atq; rigida.

A REBUS MEMORABILIBVS.

Digna omni memoria & commendatione, quæ in Atlante cernuntur, fere hæc sunt. Ad Atlantem Claudius Romanus princeps primus bellauit. Apud hunc Cæsariani Ptolomæo occiso rege, sua tentoria erexere, quibus postea Romam reuersis magna laus fuit, penetrasse Atlantem. Ab hoc monte non procul abfuerunt Hesperidum horti luculentissimi. Poëtæ Atlantem maximum esse gigantem fingunt, qui cælum sustinet. His satis de Atlante diximus.

EPILOGVS.

Epilogus constat supradictis locis.

Appendix de rebus.

Res à contrario uituperantur.

De genere deliberatiuo.

Deliberatiuum genus est, quod suademus, aut dissuademus, petimus, hortamur aut dehortamur.

De partibus generis deliberatiui.

Exordium, propositio, confirmatio, confutatio, epilogus. Narrationes in hoc genere raræ sunt, quas statim sequitur propositio:

105

Loci cōfir- mationis.	{	Honestū	}	his annu- merant	Pium.
		Vtile			Religiosum.
		Facile			Iustum.
		Difficile			Possibile.
					Necessarium.
					Sine periculo.

Paradigma quod hortatur studiosos ad theologiæ studium.

EXORDIUM.

Cum omnes naturali quodam impetu, ornatissimi uiri, ac eximix spei adolescentes, ad unius alicuius rei cultum (ut cum Aristotele loquar) rapiamur, & quisq; hominū in eo potissimum laboret, ut hoc ipsum colat, quod scit esse maximum & potentissimum, hinc fit, ut p diuersitate adfectuum, unus hoc colat idolum, alter aliud, hic deum esse concedat, cuius providentia reguntur cuncta, alter rursus neget. Sic dum quisq; rapitur, ut dixi, ad alicuius rei cultum, sine certo dei uerbo, tantum pro naturali ductu, accidit, ut tot sint in cordibus hominum dii, quot sunt homines. Epicurus deū oculum ac surdum sibi fingit, qui non curat res humanas. Stultæ mulierculæ suam Luciniam uenerantur: Rustici Iouem quendam tonantē. De dijs, quos nos coluimus, ante uerbi synceri prædicationem, nihil attinet dicere, quā plu

res fuerint, quàm ut narrare illos libeat, aut
expediat etiam hoc tempore explicare. Tales
itaq; cum omnes simus natura, ut ubi cessat uer-
bi dei uera cognitio, statim ad idola prolaba-
mur, & hodie Satan uerbi ruinam minitetur,
propterea quod pauci sunt, qui sacris literis na-
uant operam, ideo constitui mecum ad Theo-
logiam adhortari. Et quando nostrorū omni-
um maxime refert, hoc studium in Ecclesia re-
tinere saluum, spero quod libenter me sitis au-
dituri, & eo, quo consueuistis, amore, studio-
sos amare, prosequuturi. Caterum ne longis
ambagibus uos onerem, prius dicam quid sit
Theologia, quam ubi cognoueritis, qualis sit,
nemo non sua sponte adfectabit illam admira-
ri. Est autem Theologia studium, in quo quid
perpetua dei uoluntas sit, discitur, adeoq; co-
gnitio, qua cognoscitur, quid deus per totam
nostram uitam nos agere uult, & quomodo
saluum facere uelit totum humanū genus p-
pter peccatum damnatum atq; perditum.

AB HONESTO.

Quis obsecro tale studium non ambiret?
quis non summo prosequeretur studio? à quo
non suspiceretur tandem? Docet enim perpe-
tuam dei uoluntatem, quam qui nouit & facit,
is iam est delectus dei filius, hæres æternæ ui-
tæ cum deo patre, & cohæres cum Christo fi-
lio: Quam uero qui nescit, is ut est natura man-

cipium Satanæ, filius iræ & maledictionis manet, ad possidendam æternam calamitatem. Quare nisi quis prorsus excæcatus fuerit, non credo existere hominem, qui non summo & optimo hoc bono commoueat, & pro caduca ac temporali uita, æternam, & ut cum diuo Petro loquar, immarcescibilem appetat.

A PIETATE.

Porro si pietatem spectaueritis, ipsa Theologia nihil est magis pium, neq; res alia maior, quæ ita prouocet ad pietatē atq; Theologiæ studium. Docet enim uerum dei cultum, qui hic sub pietatis uocabulo cōprehenditur, quā qui nouit, is merito se pium confiteri potest. Alia studia etiam pietatem tradunt erga deū, parentes, liberos, coniuges, magistratus & reliquas personas mundi. Verum nihil ad hanc pietatem, de qua Theologia agit, quæ plane longe alia ratione, relictis ciuilibus illis præceptis, animum pium format, uero cultu seruientem deo.

A RELIGIONE.

Præterea si mouet uos uera religio, quæ tamen maxime mouere debet, quæso optimi auditores, quur non præbetis uos discipulos præ reliquis quæstuosis artibus, ipsi Theologiæ? quæ non monasticam aut papisticam religionem, humanis adinuentam cogitationibus tra-

dit, neqꝫ philosophicam religionem, quæ melancholizando simplicitatem ac humilitatem Diogenicam præ se fert, sed talem quæ fidem & timorem dei partes habet. Si igitur uere religiosi esse uultis, Theologiam amplectimini. Neqꝫ opus habetis, ut uel Thomam, uel Bona uenturam, uel etiam ipsam scholasticā doctrinam apprehendatis, ipsa Theologia docebit uos ueram religionem, ex uerbo dei petendā.

A IVSTO.

Verum quid iuuat nunc pium esse ac religiosum, nisi quoqꝫ iustus fias, hoc est, sentias pietatis & religionis fructum, qui est ipsa iustitia quam solum ueram docet Theologia, cuius beneficio non solum fis iustus, qui in dictis ac factis constantem te illis exhibeas, quibus cum uiuis, sed quæ reddat te coram deo iustum, ut filius dei dilectus, & particeps æternæ hæreditatis fias.

A COGNITIONE VERITATIS.

Hortabitur uos quoqꝫ ad Theologiæ studium ipsa ueri cognitio, in qua perscrutanda nō sine multo sudore exercuerunt se Philosophi, quia uiderunt nobis à natura ingenita esse semina quædam honestatis. Et quando honestas maxime ad ueri cognitionem accedit, ad honestatē summis uiribus suaserunt, quò sic honeste operando facillime ad ueri cognitionem

pertingerent. Quare si cupitis, ornatissimi auditores, & amplecti ipsam ueritatem, ac ipsi ueraces fieri, modis omnibus apprehendite Theologiam, quæ ueritatem non in speciem docet sed cum ipsa sit ueritas, præter ipsam ueritatem nihil aliud proponit. Et hoc uerum esse inde probatur, quia à deo ipsissima ueritate profecta est Theologia.

A NECESSARIO.

Insuper necessitas nos coget ad Theologiæ studium, modo uelimus salui fieri, quod tamè maxime ex æquo nos omnes optare credo. Et nisi uelimus rursus ad pristinas tenebras relabi, è quibus uix sumus aliquantulum degustata sincera Theologia, egressi. Quæ enim tum potest esse religio? quæ pietas? qui cultus dei? quæ ueri inquisitio? quæ iustitia? quæ tandem post hanc uitam alia? quæ cuncta necesse erit simul omnino interire, ubi Theologiæ studiū naufragium fecerit.

AB VTILI.

Cæterum quem hæc non mouent incommoda, illi huius studiū commoda præponam. Certum est solam Theologiam ducere nos ad exactam diuinæ uoluntatis cognitionem, quā qui nouit, is iam maximam suæ salutis partem est adsecutus. Donat nos fide, ad Rom. 10. Fides ex auditu est, auditus uero per uerbum dei

quod sub se continet Theologiæ studium. Itē ueram in nobis charitatem format, dum præscribit Theologia, quæ sunt uera charitatis opera. Præterea nisi esset Theologia, destituti essemus in hac lachrymarum ualle, omni spe ac consolatione. Ea enim quæ continet Theologiæ studium, scripta sunt in nostram doctrinam, ut per patientiam atq; consolationē scripturarum spem habeamus. Postremo donat nos ipsa uita. Siquidem in solo uerbo uita est, quod fouet ac tenet Theologia.

A FACILI ET DIFFICILI.

Nec deterrebit uos difficultas, quæ plane in hoc studio nulla est. Si enim quæ fuit antea, illam Scholasticorum uanitas introduxit, quæ cum nullum haberet quæstionum finem, accidit quod prorsus inmensibile pelagus credita sit Theologia. Et quum tamen infinita ingenia sedulis laboribus ad illam Scholasticā uanitatem satis etiam feliciter contigerint, quanto magis & minori labore perdiscetis Theologiam, quæ tantum uno constat libro, uidelicet Biblia, è qua si partem aliquam probe intellexeritis, de reliquis nulla restat difficultas. Siquidem Theologiæ studium solius scripturæ mutua collatione & interpretatione absoluitur. Et per se ideo facillimum est hoc studium, si prius in cæteris bonis artibus periculū feceritis, si perpaucas sacræ scripturæ proprie

tates, si phrasim ac tropos didiceritis, linguas obiter degustaueritis, si methodum aliquam, præcipua religionis capita continentem, institueritis, si iuxta Dialectica ac Rhetorica præcepta Bibliæ contextum & iudicaueritis, et bonum in ordinem disposueritis. His addite ipsissimam in exponēdo simplicitatem atq; preces quibus accedatis deum, ut dicta hæc media, per sanctum suum spiritum uobis largiatur, immensamq; humanæ rationi scripturam aperiatur.

CONFUTATIO.

Nec ualent hoc in loco impiorum quorundam hominū argumēta, quibus pericula Theologiæ exaggerant, quasi nemo possit citra animæ suæ discrimen ac perditionem multorum in hoc studio uersari. Theologia enim per se nullum habet periculum, neq; in hoc discitur, ut oblit hominibus, sed ut per illam conseruetur, & uita potiantur æterna. Qui uero hoc studio abuti uelit, & sic praua doctrina decipere alios, is suo aliquando stabit cadetq; iudicio, atq; ita e re bona conciliabit sibi propter abusum pericula. Prorsus impia sunt Anabaptistarum argumenta, quæ prætendunt Theologiam non esse necessariam, adeoq; illius nullū in Ecclesia usum, quum satis sit spiritu duci, sine externo uerbo ad accipienda ea omnia, quibus opus habet Christianus, ad cognoscendā

h

dei uoluntatem . Illis nebulonibus ac furiosis
 spiritalibus laruis, meo nomine respōdet Pau-
 lus ad Rom . 10. Neq; audiendi sunt homines
 literarum imperiti, qui quum ipsi nihil didice-
 runt, patrocinantēs suæ ignauia, satis esse cla-
 mitant Germanicam Bibliā legere, neq; opus
 esse multum operis in studio Theologiæ col-
 locare. Verum quā ridicule Germanici illi
 Theologi sæpe se dant, & quid præstare pos-
 sunt, breuitatis gratia hic transeo. Responde-
 rem hic & illis, qui studium Theologiæ ut mi-
 serum accusant, quodq; non sit de pane lucrā-
 do, nisi ipsi aliquando forent sibi ipsis respon-
 suri, ubi Theologiæ studiosos uidebunt æter-
 nis ac non cessaturis bonis frui, quos tandem
 non liberabunt à futuro dei iudicio, diuitiæ &
 mundi thesauri, quorum gratia se in hac uita
 ad quæstuosas artes conferunt.

EPILOGVS.

Sed festinabo orationi meæ colophonē im-
 ponere. Quare ornatissimi uiri ac adolescentes
 studiosissimi, ut intimis adfectibus Theologiā
 suscipiatis, hortor, qua nihil honestius est, &
 magis pium, tam corā deo, quā hominibus.
 Quam deus ipse inuenit, quamq; uoluit medi-
 um esse cognoscendæ suæ uolūtatē, qua nihil
 utilius est, neq; ad salutem nostrarum anima-
 rum magis necessariū. Et ut semel dicā omnia:
 Theologiam qui amplectitur, alit, tractat atq;

et
fouet, is uere beatus dici & celebrari potest.

Aliud paradigma, quod hortatur ad Obedientiam.

EXORDIUM.

Veteri consuetudine receptum est, clarissimi uiri, ut qui orare uelint, primum auditorum animis se insinuent, multisq; captet præludis beneuolentiam. Et ut dicentes audiantur libentius, & rebus de quibus dicere instituerint, maiorem mereantur applausum. Quam quidem consuetudinem, etli nō improbem ac plerisq; in causis ualde necessariam esse ducam. Tamē in meo hoc negotio, quod tractandum pro uirili suscepi, facile eam omitti posse credo. Quātum enim ad meam personam attinet, istius sum animi, quod confidam me apud uos nō solum bene auditurum esse, uerum etiam in magna æstimatione dicturum. Huius nāq; fidutiæ certissimum argumentum mihi præbet confessus uester omnium amplissimus, qui sine dubio non esset ita frequens, nisi haberetis in animis uestris singularem quandam beneuolentiam, qua essetis & me uerba facientem, beneuolenter audituri, & id quod secum negotij aduexerit oratio, auide accepturi. Institui autem dicere de omnium uirtutum matre, ut cum diuo Gregorio loquar, de Obedientia, ad quam cupio uos adhortari, ut in uniuersum omnes

subditi, quos uel conditio uitæ, uel uerbū dei subiugauit, ut illi inquam, suis maioribus obediant. Quanquam non sum nelcius, hanc meā adhortationem, satis odiosam futurā, hoc præcipue tempore, quo nulla neq; uirtutis neq; honestatis habetur ratio. Sed quia necessaria est & nisi in tempore probe meditata, periculosa ualde. Talis igitur cū sit admonitio omnium in usum à me parata. Spero quoq; eā multum gratiæ apud uos, qui estis syncerioris iudicij, habituram.

Ordo orationis.

Principio, ut iusto ordine tractem omnia, atq; iuxta prudentum uirorum præcepta, hanc meam orationem digeram. Primum de Obedientia, qualis quantaq; uirtus sit, dicam, ut in uobis obedientiæ amorem exuscitem, quo facilius postea mihi persuadere liceat. Deinde ad explicationem earum personarum accingam, quibus obedire iubemur. Auspiciū itaq; sumam à uocis definitione, qua cognita quisq; per se sua sponte festinabit admirari Obedientiam. Paulus in epistola ad Roma. 13. Videtur Obedientiam in hūc modum definiisse. Quod Obedientia cultus sit à deo institutus, atq; cōditus, quo omnibus iuxta dei præceptum reddimus: quod illis debemus, cui honorem, honorem: cui tributum, tributum: cui timorem, timorem: ut sic nos inuicem diligamus, & uni

uerſam legem compleamus. Ad quā definitio-
nem ubi præmiꝝ clauſula, quarto mandato an-
nexa, acceſſerit, quod illi, qui præſtabunt Obe-
dientiam, longæui ſuper hac terra uiuere debe-
ant, erit omnibus partibus perfectiſſima. In q̃
non ſolum deum obedientiæ autorem cerni-
mus, ſed effectus quoq; iſtius, unā cum finali-
bus cauſis. Talis igitur definitio uel ſola meri-
to ad obedientiam prouocare nos deberet.

AB HONESTO.

Porro ſi ad deum Obedientiæ autorem re-
ſpicere uolueritis, obſecro quid honeſtius? qd
optabilius? quid præſtantius? quid deniq; ma-
gis omnibus expetendum modis? quā ut il-
lius uoluntati, obedientiæ cultu, ſatisfacere la-
boremus, qui ſua uirtute condidit uniuerſa. Sci-
mus enim nos non hominibus hac obedi-
entiæ obſervatione, ſed deo ipſi placere, qui ſingu-
lari præcepto nos ad Obedientiam alligauit,
tum etiam, quando homo adhuc in innocentiæ
ſtatu uiueret. Gen. 2. & .3. cap.

AB VTILI.

Cæterum cum plerumq; res omnes, uel ob
utilitatis ſtudium, uel ob certas quaſdam com-
moditates expetere ſoleamus, quæſo uos uiri
prudentiſſimi, an exiſtat inter omnes res mor-
tales alia, quæ æque tot fructus ſecum adferat,
quā ſolet adferre Obedientia? Efficat enim in

nobis uehemens quoddam mutuae obseruan-
 tia studio, quo nobis inuicem obtempera-
 mus, quo reddimus ex animo unicuique, id quod
 cuique iuxta dei præceptum debemus. Facit in
 hac terra nos benedictos dei filios, quibus de-
 us propter suam promissionem benedicere uult,
 augere nobis honorem, cumulas reddere di-
 uitias, obscurumque nostrum nomen facere illu-
 strius. Tandem quod in uolubili hoc mundo
 maximum est beneficium, pollicitus est deus
 nobis uitam longiorem, quam ideo adrexit
 præcepto obedientia, ut nos nolentes etiam ani-
 mo ad obedientiam alliceret, quasi diceret de-
 us: potest fortassis humanus animus eo labi, ut
 parui faciat causam obedientia, me ipsum deum.
 Item quod quis prorsus sinat sibi excidere la-
 bores & curas, quas parentes liberorum, ma-
 gistratus subditorum, præceptores discipulo-
 rum nomine, & reliqui maiores, quibus obedi-
 entiam debemus, suorum causa suscipiunt. Qua-
 re si omnium istorum obliuisceretur homo, ta-
 men foret adhuc aliquid cuius magnitudine
 ingrati animi uincerentur, nimirum promissio
 longae uitae, hoc est, felix omnium rerum pro-
 gressus. Hanc itaque præstantem promissionem
 uobis commendo, obtestorque uos, ut illam re-
 cipiatis, ne cum inobedienti mundo, corpora-
 lem in hac uita, & postea æternam benedictio-
 nem amittatis. Porro hæc commoda obedien-

117

tiæ non solū nos Christiani primi colligimus,
sed multa ante secula felicitatis matrem soliti
sunt appellare Obedientiam homines genti-
les. Sicut aperte scribit Aeschylus.

ἐπὶ ἐστὶν ἡ βασις

πρωταρχία γὰρ ἐστὶ τῆς εὐπραξίας

μητρὶς, γυνὴ σωτῆρας ὥς ἔχει λόγος.

Quæ si uertas, Latinis sic sonāt: Felicitatis ma-
ter obedientia, coniunxq; (ut aiunt) Sospitato-
ris Iouis. Hic exempla locum habēt, in quibus
licet cernere quā liberaliter deus benedixe-
rit hominibus pro exhibita Obedientia. De
Dauidе obediente Sauli impio. De Rechabitis
Hiere. 35. De Daniele: De ipso Christo. Aliaq;
etiam Ethnica. Ab Antithesi colligi hic quo-
q; possunt inobedientiæ exempla, in quibus li-
cet uidere, quā acriter deus punierit inobe-
diētiam. De Satana: De Adam: De Cham: De
Dathan & Abyron. De Absalone &c.

A FACILI ET DIFFICILI.

Et ne quis difficultatē causetur, facilimum
est Christiano homini obedientiam præstare.
Postquam enim Christum induit, accepit spi-
ritum sanctum, qui omnem inobediētiā pel-
lit ex animo, atq; gignit in animis nouos mo-
tus, qui gaudent obedire, quibus debent. Hoc
tamen uerum est, homini impio nihil difficili-
us esse, quā posse eum præstare obedientiā,

h 4

idēq; ppter innatos animi prauos affectus, qui à natura horribiliter inhærent cordibus hominum aduersus illos, quos obedientiæ cultu prosequi debent.

Altera orationis pars.

Restat nūc explicāda altera orationis pars, de personis, quibus debetur à nobis obedientia. Illæ in quarto præcepto sub parentum nomine intelligendæ ueniūt, ut magistratus, præceptores, tutores, heri ac heræ, & ut breuiter dicam, omnes illi, quorum institutione aut firmus meliores, aut quorum cura seruamur & gubernamur in hac temporali uita.

Quantum ad parentes attinet, neminem fore credo, qui non singulari animi desiderio gestiet præstare illis Obedientiam, tum quia præceptum dei hoc iubet, tum quia labores parentum, quos nostra causa subeūt, longe sunt maiores, quàm ut possit humanus animus, tantorum obliuisci. Amplificandus est hic locus à pœnis inobedientiæ erga parentes. Item exemplis &c.

Parentes proxime sequuntur magistratus, ad quorum manus et tutelam uenimus, statim ubi nonnihil maturioris ætatis sumus, atq; incipimus aliquantulum nostri iuris fieri. Illis easdem ob causas Obedientiam præstabimus, propter quas parentibus. Deus enim quarto præcepto hoc ipsum mandauit, magistratum

diuinitus ordinauit, & tanto nobilitauit nomine, quo non est aliud maius, ut qui præsunt in magistratu dii appellentur, quo nomine uoluit ostendere scriptura, qua reuerentia & obedientia prosequi debent potestates in eminentia aliqua constitutæ. Præter dictas causas adhuc alia est, propter quam merito magistratui soluemus obedientiam, quia ipse uigilat pro nobis, in hoc, ut ab incursionibus malorum seruemur, qui insontes & minus sumus mali. Amplificandus est hic locus & illustrandus exemplis Obedientiæ & inobedientiæ, ut utrinque cernatur, & præmium & pœna.

Tertius locus præceptoribus datur, animorum parentibus, qui proximum sibi locum post magistratus uendicant. Discernuntur uero ab illis, qui sordidas illas artes docent, quibus corpus ornatur, uictusque queritur uitæ, quod hi corpora reddunt exercitiora & agilia. Illi neglecto corporum ornatu ingenia & mœurs formant. Igitur plures etiam faciendi sunt, quam omnes reliqui homines præceptores, à quibus manuarum atque externa illa opificia discuntur, quæ præter quæstum non alia commoda adferunt humano generi. Artes autem quas præceptores docent, præter id, quod satis uictus suppeditant, etiam ingenia ac rudes mentes excolunt, separantque nos à bestiis, qui aliàs nullo discrimine essemus à brutis diuisi. Quæto itaque

h s

maiores utilitates conferunt mentium præceptores, tanto quoque maiori obedientia sunt colendi. Hæc de priuatis causis. Sunt porro alia causa ex uerbo dei, propter quas debemus obedientiam præceptoribus. Nam eodem præcepto mandatur obedientia erga præceptores quo præcipitur ea, quæ parētibus & magistratui debetur. Non igitur colent pueri simpliciter præceptores, quia commoda ab illis accipiunt, sed quia sciunt deum singulari mandato cultum eorum præcepisse. Et dū credūt se placere deo, & futurum aliquando, quod deus illorum studia prosperaturus sit, longaque benedictione fortunaturus. Rursum si negauerint præceptoribus obedientiam, futurum ut deus præbeat se inobedientiæ uindictam, & qui uelit ingratitudinem eorum extrema maledictione punire. Amplificatio ab exemplis petenda est, tam Obedientiæ quàm inobedientiæ.

Haftenus de præceptoribus, quos merito tutores sequuntur. Hi enim quodammodo præceptorum uices explent, licet non in eadem affectibus, aut instituendi ratione, eadem tamen fere cura ac diligentia. Exemplo enim præceptorum formant ingenia, inculcant mores, & male moratos castigant fideliter, donec ad iustam perueniant ætatem, & sui fiant iuris. Quæ quidem beneficia longe sunt maxima & digna, pro quibus debent relictæ hæredes suis tutoribus

obedientiam. Tamen est adhuc alia causa, quæ
prouocat ad præstandum obedientiæ cultum
ipsis tutoribus. Nam præceptum quoq; dei li-
gat hæredes. Et quatenus obediunt hæredes
eatenus etiam feliciter progrediuntur in uis
suis. Quatenus uero non, fit, sicut sæpe uide-
mus ditissimos quosq; ad summam pauperiæ
extremamq; inopiam redigi. Amplificatio cõ-
stat exemplis.

Relictis itaq; tutoribus ad obedientiã quã
patribus & matribus familias debemus, accin-
gar, qui eam ob causam obedientiæ cultu sunt
prosequendi, quia homines propter conditio-
nem uitæ pauperes, ut sunt famuli & ancillæ,
recipiunt, fouent, & in omni modestia erudiūt
donec ad feliciorē fortunam euecti, quã pro-
pter sedula seruitia, à dominis ac heris expe-
ctant, ipsi per se tandem patres ac matres fami-
lias fiunt. Amplificatio in colligēdis exemplis
quærenda est.

CONFUTATIO.

Cæterum nulla res tam firma est, neq; ita
uerbo dei munita, quam non cupit euersam sa-
tan, sic quoq; cum Obedientia accidit. Hic nãq;
non feriat Satan, quin personas quibus de-
betur Obedientia, suspectas reddat apud sub-
ditos, uel quia non sunt dignæ, quibus obedia-
tur, uel quia non sunt tales, quales nos eas esse
optamus. Quæ suspicio semel in corda subdi-

torum prolapsa, nō facile eruitur. Quare summa diligentia illis cauendum est, qui publice docent, ne ad tanta mala conniveant, quæ tandem sequi solent ea incendia, nullo modo restringenda. Sic uulgus illud rusticorum ante sexennium, quantas tragedias dedit, cum in eam opinionem ab imperitis doctoribus duceretur, non esse obediendum impijs & tyrannis magistratibus. Quam opinionem falsam esse, aperte testatur scriptura, ubi monet etiam discipulis præstare Obedientiam. Et diuersum docet multa tam noui quàm ueteris Testamenti exempla. Sic David non solum discolum & prauum Saulem tulit, sed etiam impium, donec deponeret illum deus, in cuius solius potestate est eijcere magistratus è regnis suis, & potentes deponere de sede. Quemadmodum etiam poëta lib. 2. Aeneid. monet, inquiens: di quibus imperium hoc steterat &c. Nihil itaque ualent argumenta hæc, indignus est magistratus, indigni parentes, sæui ac crudeles præceptores, morosi domini, atq; heræ imperiosæ, Igitur non licet illis obedire. Verum ita potius dicere deberent, qui talibus negant Obedientiā. Nos hoies peruersi sumus, sine timore dei, pleni omni peccato & malitia, propterea prouidet deus, ut hoies peruersi, puerum quoq; magistratum accipiant, & mali discipuli sæuos ac tyrānos præceptores. Est enim tyrā-

nus pœna malevolentiae ac peccati, qua punit deus homines sine timore dei uiuentes. Erit iam non est in uiribus nostris pœnam peccati tollere, nisi eam deus misericordia motus, abstulerit. Ita etiam ad nos non spectat magistratum tyrannum pellere, quē solus deus abicit, ubi eo satis usus est ad uindicandum se de peccatis. Sicut ostendit historia Esa. 10. de Sennacheris rege, quem quoq; deus se puniturū promittit, facta per illum expeditione in Israel. Præter hæc argumenta adhuc alia obijciunt, quæ quia inuilia & uana sunt omnia, siquidem ab Obediētia nihil nos liberat (sola morte excepta) igitur illa omittam.

EPILOGVS.

Agite igitur honestissimi uiri, adolescentes ac iuuenes Cyclopediæ studiosi, & Obedientiam utrisq; amplectimini manibus, qua nō est res gratior Deo, nec alia magis necessaria in hoc mundo, ad conseruandam publicam pacem, & ad acquirendam ueram felicitatem, in oībus rebus, qbus salus humana cōseruatur.

Aliud paradigma in quo docti Germaniæ suadent Cæsari, & Germaniæ Principibus, ut bellum suscipiant contra Turcam.

Iam diu efflagitauimus, serenissime Cæsar, ac Principes illustrissimi, commodam uobis

occasionem dari, agendi uobiscum de proflig-
 gatione infensissimi nostræ fidei hostis, quem
 communi uoce Turcam appellamus, quo ni-
 hil neq; dici neq; fingi potest ferocius. Sed ha-
 stenus tã publicis quàm priuatis negocijs, tũ
 in docendo, cum in Ecclesiæ statu resarciendo
 occupari, quibus iam rite expeditis, tandem ti-
 bi inuictissime Cæsar, alijsq; Christianis Prin-
 cipibus suadere instituiamus, quo nunc pellen-
 di Turcæ oblatam occasionem nō negligatis.
 Videtis enim quàm ferueat Tota Germania,
 unusq; omnibus & idem ardor sit, hac æstate
 in Turcam suscipere arma. Præterea quàm p-
 pe adsit tempus illud quod de tua serenitate,
 potentissime Imperator, multa ante secula præ-
 dictum est, uenturum aliquando Cæsarem no-
 mine Carolum quintum, qui deberet totā Asi-
 am Romano imperio reparare. Ut quemad-
 modum ignauorum Cæsarum oscitantia Ori-
 entale imperium occubuisset, Ita tuæ serenita-
 tis uigilantia atq; industria ad Germanos redi-
 ret. Quod autē ut fiat, & quibus de causis face-
 re hoc ipsum expediat, quæsumus ut patienti-
 bus auribus, placidisq; animis nostram psuasi-
 onem audire uelit, qui ea tractabimus, quæ
 ad cōseruandam Germaniæ salutē ptinebunt.

AB HONESTO.

Et cum in omnibus rebus id maxime con-
 siderādum est, quod est honestissimum. Quæ-

est
sumus potentissime Cæsar, fortissimiq; Princel
pes, quid honestius esse potest, quàm illi infer
re bellum, qui deum nostrum blasphemus ad
ficite? Qui Christum Iesum naturalem dei filiũ
& ipsum Spiritum sanctum negat? Et ut semel
dicam omnia, qui nostram totam religionem
habet derisui? Vt interim taceam, quòd Ger
manix extremum exitiũ machinetur, uxorũ
nostrarum deprædationẽ, adeoq; nobis omni
bus captiuitatem perpetuam. Hæc tueri atque
salua retinere, quid obsecro honestius? Quid
Christianis Principibus factu dignius?

AB OFFICIO.

Nec scio an aliud magis deceat Christianos
Principes, quàm iuxta suum officiũ diuinitus
acceptum, tueri subditos suos? Nisi uelitis ex
æquo omnes, deum uestrarum dignitatum au
torem habere contemptui, & iuramentorum
obliuisci, quibus subditis præsidia, tutelam, &
defensionem iurastis.

AB ANTECESSORVM

rebus gestis.

Hortantur porro uos ad suscipiendũ bellũ
cõtra Turcam, nobilitatis uestre auctores, qui
multa ante secula gloriosissime ac fortissime,
tum pro uobis posteris, cum pro tota Germa
nia pugnauerunt.

AB VTILI.

Hoc bello totam trinitatem honorabitis, ne

fram religionē ab interitu uindicabitis, Germaniæ parabitis pacem, uobis autem immortalem & nunquam cessaturam gloriam.

A FACILI.

Profligabitis autem facile Turcam, modo ipsa inter uos concordiam inieritis, si pecuniā ex æquo omnes collegeritis, si armis induti cōtra hostem processeritis. Tandem si unanimi cōsensu diuinum auxilium imploraueritis. Potuit enim Fredericus primus, cum etiam non admodum concordia in statu floreret Germania, ipsum Turcam in ultimas Syriæ partes persequi, & uincere hostem. Cæsar Sigismundus sæpe de Turcis paruo exercitu triumphauit, in Hungaria. Sæpissime Ladislaus Hungariæ rex. Neq; nostro hoc tempore rediistis et uos anno proximo, sine ingenti Turcarum cæde. Quanto nunc feliciores uictores redibitis, qui nunc & uiribus maioribus polletis, & tempus & locum estis adepti oportuniorem.

CONFUTATIO.

Neq; detrahet uos à bello, quod hodie plerique sint, sicut rumor habet, qui malunt esse sub Turca, quàm sub uobis Christianis Principibus, idq; propter uanam aliquā libertatis spem. Miseri enim homines illi ambiunt, quod reuera non intelligunt. Neq; impedient uos ab instituto illorum uoces, qui magna cum impudē

tia uociferantur, Turcæ non esse inferendum bellum, quia dicunt Christiano homini non licere belligerari. Eorum enim opinionem aperte falsam esse, satis indicat scriptura, quæ priuatam uindictam, priuatis hominibus prohibet, contra uero confirmat uindictam, quam exercet magistratus aduersus perturbatores pacis atq; hostes depredatores.

EPILOGVS.

Quare serenissime Cæsar & Principes illustrissimi precamur & obnixe hortamur uos, ut nullo modo differatis bellum Turcæ inferre, quo sic honorem dei, statum religionis nostræ, & totius nostræ Germaniæ salutem saluam retinere possitis.

Paradigma dissuasorium ne bellum suscipiatur contra Turcas, olim à Philippo tractatum declamatorie.

EXORDIUM.

Nemini ex uobis mirum uideri debet, illustrissimi Principes, quod ego hoc tempore, de bello Turcico dicturus, in conspectu uestrum prodire ausus fuerim. Mouit enim me, tum negotij magnitudo, tum periculum, quod certo futurum erit, si uos Christiani Principes, nescio cuius instinctu, prudentia sane nulla, bellum contra Turcā moueritis. Quare non abs re & piū & necessarium arbitror, ut prius maturis con-

filij omnia perpendatis, ne temere agere uideamini, qui tantum propter priuatas iniurias ulciscendas, arma uestra expediaris. Oro itaque ut me bona & utilia admonentem, libenter audiat, & quid post mea consilia facto opus fuerit, prudenter deliberetis.

AB INHONESTO.

Siquidem ex scripturis constat, ut qui Christianus esse uelit, & Christo suo quamsimillimus, is curare debet, ut pacis amantissimus sit. Neque Christianum hominem decet pro augenda ditione arma sumere, uel ex armis quærere præsidium, quod à solo deo expectandum est, & precibus impetrandum.

AB INUTILI.

Quid uero inutilius est hoc bello, si uel sumptuosissimum belli apparatus, uel ipsam laboriosissimam expeditionem spectare uolueritis? Inde quam infeliciter dimicauerint in Asia Friderici & Conradi imperatores? Præterea non tantum inutile est in peregrinas regiones atque incognitas abire, sed etiam stultum.

A DIFFICILI ET IMPOSSIBILI.

Quanta autem difficultas, immo impossibilitas uersetur circa hoc bellum, uel inde constat quod ipse Turca breui etiam in tempore, multa milia in exercitum cogere potest. Et nos iam

post infinitas deliberationes, & post decem fere comitia, uix unum uirum unanimi & cōcordi consensu collegimus. Impossibile quoq; est Turcam expugnari posse, qui suos concordialit, cum nos interim inimicissimi simus, et quauis bestia intractabiliore. Est præterea Thracia inaccessibilis, quam si peragrarare tentaueritis, nec gnauius perfeceritis, conclusus erit uobis reditus, ubi tandem dabitis uestræ stultitiæ pœnas.

CONFUTATIO.]

Falsum quoq; est, quod quidam Principes se salutem patriæ quærere iactitent, illi potius cupiditate tyrannidis, quàm honestate ducuntur &c.

EPILOGVS.

Desistite igitur à proposito uestro, illustrissimi Principes, & cogitate quàm non deceat Christianos belligerari. Tum maxime quādo de bello nō expressam dei uocem habetis. Ne quid dicam, quàm non expediat hoc tempore quo prorsus flagrat Germania dissensionibus.

De genere didascalico seu dialectico.

Genus didascalicum est Methodus illa docendi, quæ traditur in Dialectica, cuius præcipuus ac maximus usus cernitur in statu finiti-

uo. Pertinet autē hoc genus proprie ad scho-
las & ecclesias, ubi aliquid uel alios docemus,
uel ipsi discimus, uel aliqua de re iudicare uo-
lumus. In hunc usum inuentæ sunt certæ quæ-
stiones, quas sequi oportet, quæ admonēt, quid
uniuscuiusq; nominis explicatione requiren-
dum est, quæ tanquam Mercuriales statuæ in
docendo uiam indicant, teste Philippo.

De locis generis didascalici.

Loci dida- scalici.	{	Quid sit,	} Definitio.
		Quæ partes,	
		Quæ causæ,	
		Qui effectus,	
		Quæ cognata.	
	{	Quæ pugnancia,	

Hi loci præcipui sunt huius generis. Præter
hos adhuc alij sunt remotiores, quos postea
in exemplis producemus.

Paradigma de baptismo.

A DEFINITIONE.

Baptismus est signū externū, nobis à Chri-
sto institutum, ac relictum, ut qui crediderit et
baptizatus fuerit, saluus erit, hoc est, habebit
remissionem peccatorum.

A PARTIBVS.

Vnus baptismus, de quo hic loquimur. Ba-
ptismus scilicet aquæ. Baptismus spiritus sine

838

aqua, & baptismus sanguinis alio respiciunt.

CAUSAE.

Verbum dei, mandatum dei, aqua, minister &c.

EFFECTVS.

Condonatio peccatorum, liberatio à morte, & donatio æternæ beatitudinis. Hi effectus sequuntur propter fidem in uerba promittentis Christi, non propter aquam.

COGNATA.

Mortificatio carnis nostræ, & regeneratio nouæ uitæ.

CONTRARIA.

Cōtraria dicuntur omnia, quæ uero baptismo aduersantur.

Paradigma de pœnitentia.

A DEFINITIONE.

Pœnitentia est mortificatio uetustatis nostræ cum terrore ex agnito peccato cōcepto. Et renouatio spiritus per fidem credēdo, quod propter Christum remittatur peccatum.

PARTES.

Pauor seu contritio, & fides quæ rursus liberat ex pauore.

CAUSAE.

Causa efficiens Spiritus sanctus, ne quis suis uiribus hic aliquid adscribat. Iuxta illud Hier. xiiij. Postquā ostendisti mihi, percussisti femur meum. Lex ostendit peccatum, terret & occidit conscientiam, hæc tandem uaga quærit so

latium. Accedit Euangelium quod promittit salutem, huic qui credit, ille sentit se per spiritum renouari, atq; nouum induere hominem. Postremo sentit se adsequi peccatorum remissionem.

EFFECTVS.

Effectus, remissio peccatorum, uita & iustitia &c. Qui effectus sequuntur propter fidem, alteram pœnitentiæ partem.

COGNATA.

Spiritus conquassatus, cor contritum & humiliatum, gaudium propter remissa peccata.

CONTRARIA.

Pœnitentia fucata, & ea quæ ex præsumptione suscipitur. Item quæ cōstat ex præscripto & dolore simulato.

Aliud de magistratu.

Magistratus ordinatio diuina est, q̄ in hoc data est diuinitus, ut præsit præscribatq; recta & utilia, fontibus in terrorē & uindictam, in fontibus ad tutelam à deo instituta.

PARTES.

Vnus magistratus est, quem ciuilem uocamus. Magistratus Ecclesiasticus seu sacerdotalis in rebus ad politicum regnum pertinentibus plane fictitius est, & uerbo dei cōtrarius.

CAUSAE.

Verbum dei, legitimi ac ordinati ad illum

158
eligendum, electores.

EFFECTVS.

Tueri in fontes, punire fontes, liberare à uī
& tyrannide oppressionis.

COGNATA.

Politia bona, Respublica tranquilla: Iuxta il-
lud Pro. x. Sine gubernatiōe corruet populus.

CONTRARIA.

Magistratus Papalis: Magistratus uī aut ty-
rānide occupatus: Magistratus precio emptus
uel insidijs paratus.

Aliud de uirtute.

DEFINITIO.

Virtus est habitus uoluntarius, uel princi-
palis animi dispositio, quæ inclinatur ad recte
agendum, secundum rectam rationem, ut ali-
quis fere fiat beatus in hac terra.

PARTES.

Eretriensis ille apud Plutarchum unā adeo-
quē inseparabilem esse uirtutis substantiam scri-
bit, semota omni specierum turba, quasi una
uirtus sit multis nominibus uocata. Nos Cice-
ronem secuti, eam in has partes secamus. In
prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & tem-
perantiam.

CAUSAE.

Animus siue uoluntas,

EFFECTVS.

Beare in hac terra hominem, inclinare ut omnia rationis iudicio & recta faciamus & fugiamus mala.

COGNATA.

Vitæ priuatæ tranquillitas, cessatio fraudis &c.

CONTRARIA.

Hæc ex oppositis uicijs clare cernuntur, ut si iustitiam iniustitiæ opposueris, fortitudinem, abiectioni animi.

Paradigma Thematici coniuncti per omnes fere locos dialecticos tractatum:
An fides charitatis fundamētum sit.

DEFINITIO.

Fides est expectatio rerum sperandarum, & certum argumentum non apparentium.

GENVS.

In hac definitione duæ sunt generis uoces, Expectatio & argumentum.

SPECIES.

Fides quæ uersatur circa res corporales: Fides, quæ uersatur circa res spirituales & inuisibiles

DIFFERENTIA.

Loco differentiae sunt uoces; Rerum nō apparentium & sperandarum.

235
PROPRIVM.

Certo sperare & fidere de promissis dei.

PARTES.

Fides in partes secari non potest. Est enim unus quidam motus animi, intuens in promissiones dei.

CAVSAE.

Verbum & Spiritus sanctus: Subiectum mens est,

EFFECTVS.

Iustificare hominem, reddere tranquillas conscientias.

CONIVGATA.

Fide stare & ambulare, fidere fiducia fiducialiter.

ADIACENTIA SEV COGNATA.

Charitas, spes, aliq; fructus fidei.

LOCVS ET TEMPVS.

Fides nulli loco nec tēpori alligata est. Quare hi loci in hoc thema non incidunt.

CONTRARIA.

Infidelitas, desperatio, historialis fides tantum &c.

SIMILIA.

Hæc in fidei & charitatis comparatione patebunt.

Charitatis tractatio.

DEFINITIO.

Charitas est amor in proximum, fidei fru-

136
ctus aut ancilla.

GENVS.

Fructus & ancilla.

SPECIES.

Charitas alia, qua diligimus deum, alia qua proximum &c.

DIFFERENTIA.

In proximum.

PROPRIVM.

Proprium charitatis, omnibus inservire, et uelle consultum citra discrimen personarum.

PARTES.

Vna est charitas de qua hic loquimur, quæ sit erga proximum.

CAVSÆ.

Fides & Spiritus sanctus, cuius donum est charitas erga proximum.

EFFECTVS.

Effectus seu officia recenset Paulus. i. ad Corinthios. xiiij.

CONIVGATA.

Charitate prosequi, charere agere.

COGNATA.

Executio siue consummatio legis, præmia corporalia & spiritualia &c.

CONTRARIA.

Fucata charitas, simulata: Item quæ in hoc sit, ut iustificet,

Post tractationem partium coniuncti thematis, iam uidendum est per comparisonem, qd simile fides habeat cū charitate, & rursus charitas cum fide. Et uidebimus facile longe aliam rem esse fidem à charitate, nimirum quæ iustificet, quod charitas facere non potest. Vtinā nostri Papistæ probe expendissent hanc methodicam rationem, nunquam eò essent prolapsi, quod dixissent opera iustificare.

**Aliud an Philosopho ducenda
si uxor, ex Agricola.**

DEFINITIO Philosophi.

Philosophus est homo diuinam quandam humanarum rerū notitiam cū uirtute sectās.

CAUSAE.

Causa Philosophi efficiens est, qui docuit illum, & cura, ac iugis studiorum intentio.

PARTES.

Homo in nullas ptes secari potest, nisi quis eum in membra partiatur.

EFFECTVS.

Sectari diuinam rerum notitiam, cum uirtute, prudēter agere, cōsilij prodesse alijs &c.

COGNATA.

Pallor, macies, horror & asperitas frontis, feueritas uitæ, morum integritas, contemptus uoluptatum, & si quæ sunt alia.

138
Vxoris descriptio.

DEFINITIO.

Vxor est mulier in consortium uitæ, liberorum causa legitime accepta.

CAVSÆ,

Consensus legitimaq; coniunctio.

PARTES.

Partes hominis uxoris mēbra sunt ut supra,

EFFECTVS.

Producere liberos, curare rē domesticā &c.

COGNATA.

Adfectus matrimonialis, amor uxorius, cura alendi eius, pudicitia &c.

Adhibita nunc comparatione illarum rerum inter se, quæ Philosopho & uxori conueniunt, citra omnem laborem perspicitur, quid in utranq; partem dici queat.

Regulæ necessariæ scitu duæ.

PRIMA.

Idem sunt loci thematis simplicis & compositi: Nam compositum in simplicia soluitur, ut cum quæstio incidit: An fides charitatis fundamentum sit, iam hæc composita quæstio resolueda est in voces simplices, uidelicet in fidem & charitatem, quæ seorsim secundum præscriptam methodum sunt perlustrandæ, & postea iustratæ collatione iungendæ.

SECUNDA.

In coniunctis thematis loci locis conferendi sunt, & uidendum quæ consentanea & quæ dissentanea occurrant. Sic in quæstione: An fides charitatis fundamentum sit, nihil consentaneum ipsius fidei & charitatis reperiens: Præterquàm quod in partibus & causis efficientibus aliquid cognationis habeant &c.

De collationis locorum inter se
utilitate, quantum ad argumenta
colligenda attinet, ut

Fides certum rerum non apparentium argumentum iustificat. Charitas non est certum argumentum rerum non apparentium: Ergo Charitas non iustificat. Aliud: Quicumq; studet uirtuti, ducet uxorem: Ergo philosophus ducet uxorem. Si negauerit aduersarius consequens, probabimus id ex definitione uxoris, cui hoc consentaneum est: Quicumq; studet uirtuti, liberos procreabit. Ergo quicumq; studet uirtuti, ducet uxorem.

De genere iudiciali.

Genus iudiciale est in quo accusamus & defendimus. Et continentur hoc genere lites & controuersie.

De statibus huius generis.
Totum genus iudiciale refertur ad tres sta-

rus. Ad coniecturalem, quo quæritur factum
ne sit aliquid: Ad iudiciale, quo quæritur
iure ne an iniuria aliquid factum sit: Ad legiti-
mum, quo quæritur quid sit factum.

De coniecturali statu, An sit.

Status coniecturalis cōstat quinque partibus:
Exordio, Narratione, quæ est historica cōme-
moratio facti, quam statim sequitur proposi-
tio: Confirmatione: Comprobatione, Perora-
tione.

De locis confirmationis.

Loci status coniecturalis duo sunt: Volun-
tas & potestas. Ad voluntatem pertinent, qua-
litas personæ & causa inducens. Causæ indu-
centis loci duo sunt: Impulsio & Ratiocinatio.
Ad impulsione spectat adfectus. Ad ratiocina-
tionem commoda & spes commodorum.

Voluntatis loci sunt:	{	Nomen	{	Potestatis loci:	{	Locus
		Natio				Tempus
		Viētus				Signa
		Cursus uitæ				Antecedentia
		Fortuna				Consequentia.
		Habitus				Testes
		Adfectio				Chirographus
		Studia				Confessio
		Causa inducēs				

Paradigma status coniecturalis
an Vlysses Aiace[m] occiderit.

141
EXORDIVM.

Non puto ornatissimi uiri, ac iuuenes studi-
osissimi, inter uos quenquam esse, ab optimo-
rum poëtarum lectione ita alienum, qui de Ica-
ro Dedali filio, fabulam non satis teneat. Vt po-
te qui cera conglutinatis pennis, unà cum suo
parente uolare tentabat. Verum cum in aëra
uolasset altius, quàm à patre iussus erat, factū
est, ut solis ardore liquefacta cera, resolutisq;
alis in mare sit præcipitatus. Ego uero multo
magis temerarius & audacior uideri possum,
cum omnino sine pennis uolare instituo, hoc
est, quod ego legum ac iuris fere imperitus,
non timeo forenles causas tractare. Verū quia
hactenus uidi meos consodales æque imperi-
tos atq; ego sum, summa cum laude apud uos
uersatos esse, etiam quum de illis rebus dicerēt
quas minus propter ætatem intelligerent. Nō
dubitaui eorum exemplo & ego in harenam
conscendere, si non pari studio, tamen eodem
animo & proposito, ut sic consulerem studijs
meis, quæ non minus feliciter, ipsis præcepto-
ribus testibus, quàm reliqui pueri amare cœ-
pi. Quam igitur operam in auscultando meis
antecessoribus præbuisstis, illā ut mihi quoq;
præbeatis, oro, uel etiam maiorem, quādo cau-
sa mea maior est, quàm eorum, quos ita auide
& beneuolenter hactenus audistis. Dicā enim
de fortissimis Græcorū ducib⁹, Aiace & Vlyf

se, qui cum propter arma occisi Achillis rixarentur, & Vlysses eloquentia sua à iudicibus illa obtineret, Ajax præ ira insaniens, pecora multa occidit, credēs se Vlyssēm cum socijs occidere. Tandem & ipse occisus inuentus fuit, à quo autem incertum est. Multæ tamen coniecturæ occurrunt multaq; signa ipsum Vlyssēm Aiaceis occisorē esse. Hinc quæstio oritur, An Vlysses Aiace[m] occiderit. Quam quidem quæstionem, hoc loco & hac hora, quantum pro virili potero, absolvam.

Ordo futuræ orationis.

Antequam uero ad potestatis locos abeam, & demonstrem in uiribus Vlyssis fuisse, quod Aiace[m] occiderit, & ita externum factū opere completum, ostendam, prius de uoluntate disputabo, quæ ut semper necessario præcedit factum, ita etiam magnam uim addit ad probandum illud, præcipue cum externa acta ipsius uoluntatis effectus seu fructus sint.

A VOLUNTATE.

Occurrit itaq; primum, grauissimi iudices, temeraria illa Vlyssis uoluntas, quam & gestibus & uultu, qui sunt indices animi, non solū sæpe significauit, sed etiam palam apud omnes homines testatus est sæpissime, ita quod per omnia uisus sit Vlysses ambire cædem Aiaceis. Hæc igitur uoluntatē ut etiā opere expleret, comitē itineris se illi præbuit. At quid dico præ-

buit, ingerit se potius amicis uerbis Aiaci oēm operam in profligandis in itinere hostibus, si forte aliqui obuiam uenirent, promittens. Hic uero Ajax, quia homo pius erat, et proh dolor ad credendum nimium facilis, sine relictatione passus est Vlyssē comitem, nihil mali à tā famoso uiro suspicans, donec diuersum experiretur.

A NOMINE.

Arguit quoq; aperte Vlyssē occisorem Aiacis esse uel ipsius nomen, quod nō sine singulari deorum fato adeptus est, ut sic nomen præmonstraret, futurum aliquando, quod tā horribile facinus peragere deberet Vlysses. Græcis enim ab ^{βολή}, quod est uulnus siue cicatrix deriuatur, quod uulnerib⁹ ac cicatricibus gauderet.

A NATIONE SEV NATURA

à gente contracta.

Porro & natura à gente Græcorum contracta, uobis iudicibus, de cæde Aiacis ab Vlyssē facta, fide m faciet. Græcus enim est, igitur in fidiosus, fallax & callidus, quod quidem argumentum & si in speciem parum aut nihil probare uideatur. Tamen quia eadem, de persona Vlyssis scripsit Homer⁹, statim in initio Odyss. πολὺτροπον illum uocans, quam uocem sic uertit Vergilius, scelerū inuentorem, hoc est, uersu-

k

244
tum, dissimulantem simulatremq; omnia. Ideo
nec ego ueritus sum, hæc argumenta à natio-
ne, ut probabilia, in medium adducere.

A VICTV.

Idem etiam de Vlyssæ factum ipse uictus te-
statur. Vixit enim Vlysses ab ipsis cunabulis
uoluptuose, & uagabunde: Ita ut Horatius, ne-
scio quod remigium illi propter scurriles suos
mores & uitam uoluptati deditam attribuit.
Quæ satis indicant Vlyssæ nihil timuisse Aia-
cem perfodere ferro, qui cum ab initio nihili fe-
cerit honestatem, qui idem non auderet flagi-
tiosissima quæq; perpetrare.

A FORTVNA ET HABITV.

Ad hæc accedit ipsa fortuna & habitus cor-
poris. Illa, quia è paupere Vlyssæ diuitem fecit,
è squalido nitidū, ex infelicissimo homine, for-
tunatissimum. Hic uero robustatem, uelocita-
tem & agilitatem subministravit. Igitur nihil
defuit Vlyssæ ad occidendum Aiace. Maxi-
me cum fastus ex subita immutatione fortu-
næ permultū instiget etiam ad facienda mala.

AB ADFECTIONE.

Idem quoq; adfectus illi horribiles docent,
quibus extreme præditus fuit Vlysses, quod
parui fecerit cædem peragere, qui non horrue-
rit sæpe ad aliquot annos fouere in animo irā,
qua fuit incredibili, sicut Homerus subinde te-

statum. Et qui iam non potest sibi temperare ab affectibus, quomodo ille contineret se à cæde, quæ est effectus iræ? Ad quod facinus peragendum etiam non minimas partes subministravit Vlyssii audacia, omnium scelerum mater, qua non solum confidenter egit, quæ uoluit semper pro arbitrio Vlysses, sed etiam clam imprudētem multitudinem ad omnia facinora pertraxit sæpe, ut tumultuaretur & ageret contra legitimum suum magistratum: Quemadmodum Odyssea non uno in loco canit. Quia itaq; non ueretur temeraria audacia fretus, turbam subditorum contra suos principes provocare, quomodo iste dubitaret unum hominem nihil mali suspicantem, qualis Ajax fuit, gladio perimere?

A S T V D I I S.

Ansam uero maximam peragendi illius facinoris uidetur, post prædictas occasiones, præbuisse Vlyssii magica ars, quam perfectissime tenuisse legitur, adeo etiam quod frequēti istius artis exercitio, sæpissime ad insaniam usque adactus fuerit. Huius præsidio sperauit futurum (si modo licet clancularios tam astuti hominis cogitatus diuinare) quod & si occideret Aiace, tamen posse uel effugere se, uel corpus mortuum inuisibile reddere, donec domum rediret.

A C A V S A I N D V C E N T E.

Quibus autem causis motus fuerit Vlysses

ad occidendum Aiace[m], nunc porro aperien-
 dum est. Vlysses homo inflatus semper fuit, &
 talis, qui non facile obliuisceretur iniuriarum,
 sicut supra de adfectionibus Vlyssis auditum
 est. Hic itaq; pro suo more, gerebat adhuc in
 animo inueteratum illud odium, propter ar-
 ma Achillis contractum, quia Ajax coram iu-
 dicibus in os multa dixerat Vlyssi, quæ non so-
 lum eius famam lædebant, sed etiam publice
 testabantur Vlysses multorum scelerum &
 caput & autorem esse. Quāquam interim post
 latam à iudicibus sententiam, omnis lis simul
 quoq; ablata erat, nunquam tamen passus est
 Vlysses atrocissimum illud dictum ex ore la-
 bi. Condonata est Aiaci iniuria, uerum nedum
 obliuioni tradita, quasi uellet dicere: In gratiā
 iudicum reconciliatus sum Aiaci, at ubi occasi-
 onem recepero, sentiet me uindictam. Hoc ita-
 q; odium ad longum tempus alta in mente re-
 positum, tandem commouit Vlysses, illud ip-
 sum in trucidando Aiace euomere. Neq; ulla
 fuit alia impulsiva causa ad tantū facinus per-
 agendum. Neq; potest enim Vlysses aliam sui
 facti causam prætere. Non enim quæsiuit
 suo facto publicam gloriam, neq; commodita-
 tem publicam, sed priuatam uindictam, ut Aia-
 cem suis armis spoliatū, idq; iure coram iudi-
 cibus, qua de re nunc nihil ago, postremo etiā
 uita & reliquis bonis spoliaret.

A POTESTATE.

Porro restat, grauiſſimi iudices, altera orationis pars de potestate, an Vlyſſes hoc facinus facere potuerit. Vt enim male iudicatur de potestate, nisi accesserit uoluntatis probatio hactenus à nobis adducta. Ita pessime disputatur de uoluntate sola, nisi quoq; simul adiungatur potestas. Quomodo itaq; non potuisset Vlyſſes occidere Aiace? qui ad hanc cædem de industria ex longa deliberatione oēs suos amicos ac familiares conuocauerat, exceptis armatis satellitibus, quos sub cliuo quodā habebat absconditos. Amici pederentim sequebātur, ut si necessitas postularer, statim illi adessent & peragere cædem iuuarent.

A LOCO.

Præterea & locus factō fidem facit, quem in sylua delegerat sibi Vlyſſes, priuatus, & ad occidendum de improviso ualde oportunus, in ualli ubi de loco excelso deorsum itur, quē à fronte rursus perdifficilis propter surgentē collem, ascensus excipit, qui locus uel solus ita attente ab Vlyſſe exquisitus, nostrum institutum probare possit.

A TEMPORE.

Et si hæc non gesta ab Vlyſſe audiretis, sed uideretis picta, tamen reuera appareret Vlyſsem esse sæpe memoratæ cædis autorem, qui no-

Et turno tempore quo et plura alia mala fieri solent, eò abduxit Aiace[m], qui quorsum iret, ipse se nescire dicebat.

A SIGNIS.

Et quod omnium maximum est probationis nostræ argumentum, uisus est Vlysses altera die, quum agricolæ syluestres, lignorum cōuehendorum gratia in syluam abiissent, sepelire Aiace[m]. Interrogatus uero ab illis, quid illic rerum ageret, non solum præ timore subtiuit, sed etiam ualde erubuit. Tandem nonnihil collecto animo, in hæc uerba tremebunde prorupit, quæ non est locutus, uerū hiauit potius: Ego effodio hic mād[er]agoræ radices, quæ uerba ubi adhuc in ore illius hærent, fratrim amici & familiares Vlyssis unā cum armatis militibus prouerunt è suis latebris, credentes ideo adesse agricolas, ut uel occiderēt Vlyssē, uel propter perpetratum facinus captiuū abducerent.

A TESTIBVS.

Tandem ne tantum scelus diutius occultū maneret, serui Vlyssis, alter Thesichorus nomine, alter Hypparchus, illud homicidium in apricum produxerūt. Hos seruos cognati Aiacis, amicis uerbis eò commouerunt, ut etiā locum ostenderent, in quo misere occubuerat Ajax.

A CONSEQUENTIBVS.

Vbi iam ad locum illum peruenissent, ibi adhuc gladius Vlyssis inuentus est, nec simpliciter inuentus, sed nudus, cruentus, & propter contractum in se sanguinē, rubiginosus, quæ sane omnia certissima argumēta præbent Aiacis ab Vlysse occisi.

A CHIROGRAPHO.

Præter omnia argumenta hæcenus à nobis citata, adhuc unum restat, quod ita firmum est ut si alia cuncta cauillari & eludi possint, hoc tamen uel solum sufficiat ad probandū, Vlyssē esse Aiacis occisorem, qui post factum literas in Lacedemoniam misit ad suos amicos, & inimicos Aiacis, in quibus superbe gloriatus est se occidisse et sepelisse suum & illorum hostem.

CONFUTATIO.

Quæ uero iactitat Vlysses cum publice in foro, tum priuatim apud suos, quod ea nocte in urbe fuerit, cū occideretur Ajax, aperta mendacia sunt, sicut & reliqua, quæ, ut audio in sum patrociniū contra certissimas nostras probationes excogitauit, quæ postea apertiora patebunt, ubi ille cogetur ad mea respondere.

Hoc nunc restat, optimi iudices, ut prædictas coniecturas, argumēta, & ipsa signa apud

uos diligenter excutiatis, an ille ullo modo se excusare possit ab homicidio Aiakis, qui tot certissimis coniecturis, partim à uolūtate, partim à potestate tractis, superatus est. Quem enim aperta uoluntas prodit, nomen, natio, & uictus accusant, fortuna, habitus, adfectio & ipsa studia reum insimulant. Quem præterea odiū, inuidia, ac priuata commoda instigant, potestas horratur, locus monet, inuitat tempus. Postremo quem testes ac chirographus reum agunt an ille non sit reus iudicandus, uestro prudentissimo stabit cadetq; iudicio.

Hos prædictos locos defensor cum accusatore communes habet, quibus defensor addit Inuersionem & Absolutionem, de quibus locis uide Philippum.

REGVLA PRIMA.

Defensor confutat allegatos accusatoris locos à contrario.

SECVNDA.

Omnibus thematis non conueniunt omnes loci: Igitur illi potissimum eligendi sunt, qui uidebuntur esse magis necessarij ad thema.

De statu iuridiciali.

Status iuridicialis constat quinque partibus: Exordio, Narratione, Confirmatione, Confutatione, Peroratione. Est autem duplex: Absolutus & assumptiuus. Absolutus, cum simpliciter aliquid defenditur, cuius loci sunt: Natura,

lex, consuetudo, æquum, bonum, iudicatum, pactum. Assumptius, cum assumpta re extra nea, defensio tractatur. Cuius loci sunt: Cōcessio, translatio & remotio criminis. Concessionis partes sunt: Purgatio cum fateamur nos peccasse, sed per imprudentiam aut casu, & deprecatio.

Paradigma Iuridicialis Absoluti.

Non licet Ecclesiastica bona conuertere in priuatum usum.

EXORDIUM.

Redijt, ut scitis, idēq; ex gratia dei, optimi auditores, cōmilitonesq; suauissimi, Verbum ad aliquot secula horribiliter deprauatum, & humanis constitutionibus caliginose obductum, ad cuius reditum & puritatem ex æquo oēs magno adfecti sumus gaudio. Sed ita ut sit in bonis rebus omnibus, quod facile in abusum recidant, sic & cum uera pietate hodie accidit, de qua multi quidem glorianur absq; omni iudicio, interim nihil minus cogitantes, quā uel quid sit pium, uel ut pietatis fructibus se pios declarent, obseruatio præceptorum dei negligitur, opera charitatis posthabentur, tandem omnes bonæ ordinationes corrumpuntur. Visum itaq; est mihi tam hypocriticam peruersitatem, non corrigere quidem, id quod mearū uirium non est, sed pro mea uirili detegere sal

tem, & ostendere tantum, quàm pessime faciunt
 qui nostris temporibus, ita Thraſonice se iac-
 titant de uera pietate, ipsi apud animos impiis-
 simi. Et cum angustia temporis non patiatur,
 ut de singulis factis dicam, quæ hodie sub spe-
 cie pietatis peraguntur, unum maxime nefari-
 um ex multis ac propemodum infinitis elegi,
 quo factò sine omni iure, tantum sub prætextu
 ueræ pietatis, quidam Ecclesiæ bona ad se tra-
 hunt, & illa ut publica in usum Ecclesiæ data,
 priuata faciunt. Quæ quidem uolentia, nisi in
 extremū nostræ religiōis dispendiū uergeret,
 aliquo modo illam ipsam fuisset passus. Vbi
 enim præmia studiorum intercidunt, delega-
 ta studiosis bona depredantur, illic necessario
 etiam breui peribūt studia, per quæ uindicatur
 & conseruatur uera pietas ab interitu. Spero
 autē uos æquis auribus me audituros, qui non
 priuatam meam utilitatem, sed cōmune omni-
 um commodum quæro, ut in hac iam præsen-
 ti religione casti maneant nostri nepotes. Quæ-
 rum ad ius attinet, & si esset hodie aliqua iuris
 ratio, Ecclesiastica bona non opus haberent,
 me defensore, contra falsorum Euangelicorū
 rapacitatem. Verum quia iuris propemodum
 nullus habetur respectus, & ipsum ius undi-
 quaq; obliuioni datur. Igitur statui pro mea
 uirili, atq; adeo pro communi bono, admone-
 re de iure, & iniuriam in hac re in apicū pre-

273

ducere. Faciant interim isti quid uelint raptores, mea nihil refert, qui scio eos sæpe agere p libidine, quæ nullo iure defendere possunt.

A NATURA.

Omnes boni sapientesq; uiri, qui è rationis rectissimo iudicio pendent, illi pro instinctu naturæ, unanimi consensu probant, in nobis leges quasdam naturales esse, ad quarum præscripta uolunt natura omnes homines comparare se, ut sic cultus dei reseruari aliquis possit, homo cum homine uiuere, ad humanæ societatis uinculum custodiendum pacifice. Et quum iam naturales illæ leges, sententiæ quædam communes sint, quibus omnes homines pariter assentiuntur, atq; quas deus cuiusque animo insculpsit, ad formandam aliquam pietatem, & mores accommodatos. Sane pessime faciunt, qui nunc naturæ illius cursum inturbant, media & alliciamenta auferunt, quibus peruenitur ad cultum dei, quem etiam natura licet non ita clare, sicut olim, strenue à quouis mortali requirit, dum iubet noscere deum. Quo quidem peccato non credo aliud esse maius, neq; molestius in ipsa conscientia, quæ ut est mille testes, sicut Cicero inquit, ita sane nunq; cessabit molestare animos illorum, qui oblatione delegatorum Ecclesiæ reluctantur naturæ, id quod fit, quando sublati Ecclesiasticis bonis, impediuntur homines à pietate, quam pro

sua potestate suadet & mandat natura, pereuntibus enim possessionibus Ecclesiæ, necesse est simul interire ipsam pietatē, quæ per illas possessiones, tanquam per media, quibus sustentantur personæ, ad promouendam ac distribuendam pietatem à natura insitam, retinetur.

A LEGIBVS DIVINIS.

Peccant & contra leges diuinas raptores bonorum Ecclesiasticorum. Præceptum enim manifestum est in lege, de non committendo furto. At quid aliud est communia Ecclesiæ bona in priuatam utilitatem conferre, quàm furtum committere? Imò rapinam, quæ est uolentium furtum. Nisi uelis delegata Ecclesiæ bona ab alijs externis bonis separare, quod his furtum seu rapina committatur, illis non itidem. Verum re probe perspecta, nemo nō duplex furtum dicet committere eos, qui res Ecclesiæ depredantur, easq; conferunt in priuatū usum. Nam horum abalienationem, ut sequitur exitiosius periculum, ita illorum subtractio, merito pro maiori furto iudicabitur, quàm est rerū externarum tantum abalienatio. Quandoquidem ad illorum spiritualium bonorum depredationem pietas uera intercidit. Vbi enim de sunt stipendia, ibi precones ueræ pietatis adesse nequeunt, qui ut sunt homines, sic quoque uictu & amictu opus habent, non sordido quidem, sed ministrorum ueteris Testamenti

exemplo, optimo & satis copioso. Et sicut Pau-
 lus ait ad Gal. 6. Communicet autem qui cate-
 chizatur sermone, ei qui se catechizat in omni-
 bus bonis. Non dicit Apostolus: in uilibus &
 exilioribus tantum. Præterea alia est lex diui-
 na, contra quam peccant depredatores eccle-
 siæ, uidelicet, quæ extat, de nō occidēdo. Quid
 enim aliud faciunt illi spoliatores, dum ui gras-
 santur in Ecclesiæ bona, quàm quod plerofq;
 tam pios, quàm nondum conuersos, tamen p-
 pter maxima sua dona non contemnendos ui-
 ros ad inopiam, etiam extremam, protrudunt
 sæpe, quam postea uel ex nimis curis, uel ex
 præsentifame, comitatur ipsa mors, in summa
 calamitate miserabilis. Ne quid dicam sæpe di-
 cta depredatione accidere, ut conuersi ad ue-
 ram pietatem ex inopia desperent, accipiantq;
 denuo ansam persequendi Euangelium, quod
 fortassis retinerent, nisi uiderent illud diutius
 seruatum sibi in damnum & diminutionem ui-
 ctus cedere. Verum quur pergo illas remotio-
 res leges recensere? cum aliæ proximiores sint
 & proprie de alendis sacerdotibus in ueteri ac
 nouo Testamento, ad quorum sustentationē
 à Mose decimæ ordinatæ erant, in quarum lo-
 cum apud nostrates successerunt beneficia ac
 delegata Ecclesiarum. Hinc frequentes illæ ad
 hortationes, ne obliuiscatur Israël Levitarum
 Deut. xij. xviij. & xxvi. capitib⁹, ad quas per-

tinet bona pars totius Deuteronomij, ut ubi
 Moses exposuerit p̄cepta prioris tabulæ, quo-
 modo fidendum sit deo, quomodo credendum
 uerbo eius, statim subiicit de dandis decimis,
 ut prædicatores & ministri illius uerbi susten-
 tentur uictumq; habeant. In nouo testamento
 idē monet Christus, ubi phibet Euangeliū nō
 esse prædicandum lucri causa. Interim tamen
 uult suos discipulos honeste de Euangelio ui-
 uere, cum dicit operarium dignum esse merce
 de sua. Idem quoq; Apostoli post Christū do-
 cent. Et præcipue Paulus. i. ad Corin. ix. Ad
 impios prædicatores fouendos hætenus oēs
 homines ad stuporem usq; dederunt. At nunc
 uero Euangelio renato, nemo est, aut sane pau-
 cissimi, qui uel teruntium etiam conferunt in
 Ecclesiæ usum. Imo si quid habet Ecclesia ex
 bonorum uirorum delegatione collatum, id
 dissipant quoq; & contrahunt quasi pro auto-
 ritate ac summo iure in priuatum usum. An ue-
 ro hoc sit alere, iuxta legem dei, Leuitas aut p̄-
 cones uerbi, iudicent alij, qui me iudicare meli-
 us norunt.

A LEGE CAESAREA.

Cæterum cū deus approbet Cæsares, adeo-
 q; omnem magistratum, sequitur quod etiam
 leges & ordinatiōes illorum probet, quas sub-
 ditos seruare uult Deus, ut & pietas & boni
 mores custodiantur. Constitutæ itaq; sunt le-

ges à Cæsaribus, quæ prohibent abalienationem bonorum Ecclesiasticorum, quorum gratia sustentari debent ministri Ecclesiæ. Igitur contra leges Cæsareas peccant illi, qui possessiones Ecclesiæ trahunt à publico usu in priuatam utilitatem. Neq; simpliciter peccant contra Cæsarem, sed contra deum, qui Cæsares et illorum leges confirmat. Habent autem leges Cæsareæ in hunc modum: In Codice, Titulo de sacrosanctis Ecclesiæ bonis & rebus & privilegijs eorum. Item in Autenticis, ubi Imperator præcipit ex constitutionibus Leonis, q̄ Clericis tam Laicis potestatibus, ne res immobiles cuiuscunq; Ecclesiæ uel ipsi abalienent, uel abalienandas permittant: Item in Codice, Parag. Vasa aurea &c. lege. 16. Vasa sacra & uestes sacræ non possunt pignori uel abalienari: Itē in Autenticis Parag. Res immobiles &c. Vbi expresse dicitur: Res immobiles Ecclesiarum alienari prohibentur, in quacunq; persona &c. Quæ leges & Autentica satis declarant Imperatoris sententiam, quod in uniuersum prohibeat oēm uēditionē, donationē, commutationem & abalienationem rerum Ecclesiasticarum &c. His addit & pœnas Cæsar grauissimas, sicut est uidere in Autenticis.

AB AEQVO ET BONO.

Porro non peccant solum prædicti raptores contra diuinas, Cæsareas & naturales le-

ges, sed etiam contra æquum & bonum, atq;
 sic contra publicam utilitatem, quam prorsus
 interire oportet, ubi possessiones Ecclesiæ do-
 natæ, ablatae fuerint. Nam sine delegatis Eccle-
 siasticis non possunt seruari scholæ & docti,
 quæ duo fulchra sunt communis utilitatis.

A CONSVETVDINE.

Neq; hanc rapacitatem spoliandi Ecclesias,
 didicerunt ab antecessoribus nostris. Illi enim
 longa & laudabili consuetudine conseruaue-
 runt bona Ecclesiastica, in summo timore au-
 gentes illa, certo scientes quàm horribiliter de-
 us puniret sacrilegos, in quos à principio mun-
 di semper grauissime animaduertit, horribili-
 bus pœnis, nunc è cælo, nunc hic in terra per
 magistratus eos puniens.

A IVDICATO.

Sic puniuit deus acriter regem Babylo-
 nicum, teste Daniele, quem regno suo spoliavit,
 quia templi domini uasa prophanauerat. Quã-
 to igitur maiores pœnas dabunt, qui non solū
 aurea uasa in usum Ecclesiæ & sustentationem
 doctorum data, auferunt, sed etiam tam mobi-
 lia quàm immobilia ad se recipiunt, nihil aut
 parum curantes, quomodo nutriantur illi, in
 quorum usum sunt olim à bonis uiris collata.
 Et quemadmodum nunc scripturæ exempla
 deterrent ab alienatione possessionum Ecclesiæ

asticarum: Ita quoq; fedulo quædam monent bonos principes ad illas conferuandas. Qualis est illa diues ac præclara admonitio in Esaia, fore reges Ecclesiæ nutricios & reginas nutrices &c.

CONFUTATIO.

Neq; recipimus hic illorum spoliatorū argumenta, quibus suæ uiolentiæ prætextū excusant. Inquiunt enim, ideo ad se recipere Ecclesiæ bona, ne post hac illis occasio detur ad reinstituendam impiam doctrinam, & ut Papistæ aduersarij facilius conuertantur, spoliatione suorum beneficiorum coacti. Cui prætextui quisq; per se facile occurrere potest. Si quidem amittendo nemo fit pius, sed deterrebuntur potius aduersarij, & accipient occasionem, ut conferant aliò sua stipendia, & literas suorum bonorum capitales, ut uocant, uel ad priuatas personas, idq; clam, quo uel dimidiā reddituum partem obtineant, aut exilius aliquid, ne pereant fame, inde fit ut sic ab alienentur delegata Ecclesiæ, & ad peregrinas manus perueniant. Neq; hæc ratio satis firma est, propter quam spoliant Ecclesias suis bonis, quia Cæsar permittit permutationem bonorum Ecclesiæ, si sunt in abusu. Huic obiectioni sic occurrimus: Permittit quidem Cæsar permutationem illarum Ecclesiasticarum possessionum: At in usum priuatum recipere eas uetat. Prohi

bet enim lex ab alienatione dum iubet pro mutatis bonis reddere uel æqualia uel meliora. Sic permissum est magistratui, ut occupet uacuas Ecclesię possessiones, sed ita ut occupatas in melius mutet. Mutantur uero in melius Ecclesię bona, quando conferuntur ad pios usus, quando illis aluntur studia & studiosi. Tandem quando illorum bonorum beneficio eriguntur scholę, & ministri Verbi sustentantur, alique uiri docti, qui publicis rebus præesse possunt &c.

EPILOGVS.

Sed pergo dicendi finem facere, quum scio parum aut nihil me hac mea oratione effecturum. Verum quia autoritate non ualeo illum sacrilegum abusum corrigere, uolui tamen improbare illum, ut talem, qui legi naturali, diuinę, Cæsareę, exemplis honestis, longęque consuetudini aduersetur, ut taceam tanta sacrilegia in exitium Euangelij, honestorumque omnium studiorum ac morum cessatura.

Paradigma iuridicialis assumpti-
ui in quo defenditur Nicolaus,
quod Petrum iure occiderit.

EXORDIUM.

Factum est hesternæ die, grauissimi iudices, quod Nicolaus Gerbellius huius inclytę urbis & ciuis & magistratus, coram toto senatu

satis quidem atrociter, qua uero modestia ac mansuetudine accusatus sit, omnibus liquet quod adfuerunt. Reliqui uero intelligēt, ubi ea sedulitate me nunc pro accusato dicentem audiueritis, qua accusatorem audiuiſtis. Et optarē plerofque tales habuisse causas, qui nunc absoluti, liberrime incedunt, qualē noster Nicolaus habet, qui id quod fecit in occidendo Petro, non iniuria, sed iure fecit, uel etiam ipsis aduersarijs restaturis, qui ad iuramentum coacti, sine dubio aut prorsus sentient cum Nicolao, aut pudore confusi abibunt ad sua. Neque dubito quin Senatus & uos selecti ad hoc negotium iustissimi iudices, manibus pedibusque in nostram defensionem abibitis, Nicolaum ciuem & magistratum in pristinum suum locum restitutori.

NARRATIO FACTI.

Accidit, sicut scitis, optimi iudices, ex accusatoris relatione, quod nudius tertius Nicolaus, quem hic praesentem uidetis, homo pius, ciuis pacificus, & magistratus de nostra Republica optime meritus, ingenij refocillandi gratia in campum abiret, nullis neque satellitibus neque armis praeditus, tantum uno filio, & illo quidem puello, qui à longe comitabatur patrem. Hic cum uenisset ad praedium Petri Marfilij, in gramine se unà cum filio posuit, paululum ibi perditas inter eundem uires reparaturus. Verum cum uix decubuisset, uenit e praedio suo Pe-

rus, atq; magno impetu Nicolaum petijt, nihil mali ab amico timentē, & alterā eius manū uno ictu abscidit, tanta uehementia percutiendi, ut simul in terram deuolueretur Petrus. Surrexit itaq; Nicolaus, & inter furorem dextra manu apprehendit inimici gladium, ac ipsum Petrum perfodit. Nullum igitur dubium est, grauissimi iudices, quin Nicolaus Petrum Marcellum occiderit. Sed iure ne an iniuria hoc fecerit, porro quærendum est.

CONFUTATIO SEV DESTRV-

ctio argumētorum accusatoris à locis iuridi. absoluti ductorum.

A IVRE NATVRALI.

Neminē latet, sine dubio, quod naturæ lex sit, uim ui repellere, quam natura ita inculpsit mentibus humanis, ut qui uim pellat ui, ab omnibus recte fecisse iudicetur. Quare Nicolaus, dum occidit Petrum, huic legi naturali satisfecit: Ergo iure naturali casus est Petrus à Nicolao.

A LEGIBVS.

Permittunt quoq; Cæsareæ leges, ut uis pellatur ui, si alia ratione quis resistere aut aufugere nequit. Sequitur itaq; adhuc Petrum à Nicolao summo iure occisum esse.

A CONSVETVDINE.

Neq; spero uos iustissimos iudices, Nicola-

um condemnatos, tanquam illum qui sine iure tela in Petrum mouerit, quum & semper laudabili consuetudine, ante multa secula licu- erit uim ui repellere, & hominem inferentem uim è medio tollere.

AB AEQVO ET BONO.

Petrum iure cæsum esse à Nicolao, hoc ip- sum cum æquitas tum utilitas satis ostendit: il- la, quæ iubet tueri se & suos à ui: hæc, quæ nō soli Nicolao, sed etiam communi Reipublicæ cessit, quàm Petrus prorsus euertere, sæpissi- me in animum suum induxit.

A IUDICATO.

Nec multum ponderis argumenta ab exem- plis ducta, habent, quibus recenset accusator complures homicidij pœnas dedisse. Et sic p- consequens etiam iustum esse, ut uos iudices supplicium à Nicolao accipiatis. Sed non uidet ille, qui sic stulte argumētatur, ea exempla præ- senti facto non conuenire. Aliud enim est sua sponte aliquem interimere. Aliud quoq; est iu- re aliquem è medio tollere. Præterea si exem- plis hic agere licet, scimus ex ueterum histo- rijs, Græcos deorum honorem illis uiris tri- buisse, qui tyrannos occiderunt, & seditiosos ciues extinxerunt, qualis etiam non mediocri- ter fuit Petrus. Sic & Milo absolutus est, post- quam sceleratissimū Clodiū è uinis sustulisset.

APPLICATIO LOCORVM

Assumptiui iuridicialis.

Purgatio in hoc exemplo in concessione facti consistit, ut supra. Et pertinet aliàs eò, quando defensor excusat reum non studiose fecisse id quod fecerit, nec dedita opera. Remotio & translatio in hoc exemplo negliguntur. Concedit enim defensor simpliciter Nicolaum occidisse Petrum, sine ulla translatione criminis in alium.

Deprecatione autem defensor utitur, qua precatur reo ignosci, non ut homicidæ, sed ut fortissimo uiro, qui uim illatam ui repulerit. Et hoc ipso facto Reipublicæ inseruierit.

EPILOGVS.

In Epilogo adfectus iudicum ad misericordiam mouendi sunt. Et propositio cum potissimis argumentis breuiter repetenda.

De statu legitimo QVID SIT.

Status legitimus constat quinque partibus, Exordio, narratione, quam statim sequitur propositio, confirmatione, confutatione & epilogo. Et spectat hic status ad scholas & doctorum disputationes.

De diuisione huius status.

Hic status in sex partes diuiditur, In definitionem, contrarias leges, scriptum & sententiā,

ambiguum, ratiocinationem, & translationem,
DE DEFINITIONE.

Definitio est, quādo quæritur quid res sit.

De dispositione definitionis.

Quum definitione utimur, primum adferemus breuem vocabuli definitionem, quæ ad utilitatem causæ accommodanda est. Deinde factum nostrū cū vocis descriptione cōiungetur. Deinde contraria descriptionis pars retelletur, si aut falsa erit, aut inutilis, aut turpis aut iniuriosa. Id autem ex iuridicialis absoluti status locis sumetur.

Loci confirmationis & confutationis.

Confirmationes & confutationes huius status ducuntur ex locis dialecticis. A gñe, differentia, causis, effectibus, partib⁹, autoritate &c.

Paradigma definitionis in quo Petrus accusat Nicolaum sacrilegum.

ACCUSATOR.

Cum mecum perpendo, grauissimi iudices qualia hodie sunt tempora, quicq; corrupti hominū mores, sane horresco in publicū forum prodire, & collapsum aliquandiu iudicium, ipse primus in usum reuocare. Et desisterem ab instituto, nisi publica utilitas, cui permultum omnes boni uiri debent, me progredi cogeret.

Quare optimi iudices, quum ego non mea de causa neq; propter priuatum cōmodum huc conceſſerim. Et uos quoq; tales ſitis, qui publica maxime curetis, quæſo dignemini me patiētiſſimis auribus audire, neq; permittatis uos à ueritate abſtrahi, per illos, qui hodie ſine omni pudore in oculis ueſtris fumos pro integritate uenditant. Sed potius iudicate ſyncero ex animo, iuxta leges & approbatam conſuetudinem, ut officium ueſtrum, neglectis priuatis commodis, proſit Reipublicæ et ciuib; bonis omnibus.

NARRATIO QVAM SEQVITVR
propoſitio.

Maniſeſtum eſt, grauiffimi iudices, qđ pau-
cis ab hinc diebus, Nicolaus Gerbellius, pecu-
niam in uſum Eccleſiæ repositam abſtraxerit,
idq; è loco ſacro. Et dum inter factionem iura
ac leges tacerēt, illam apud ſe ſeruauit. Iam ue-
ro quia ſeditionis ſcintillæ, nō per omnia ſunt
adhuc conſopitæ, igitur non deſunt quoq; ſce-
lerofi quidam homines, qui Nicolaum in hoc
ſuo facto defendere conantur, qualiſi furtū nō
ſacrilegium commiſerit, quo ſic extenuato fa-
cto, leuior inde ſequatur pœna. De facto hoc
in loco & tempore nihil dicam, quod quia pa-
lam eſt, quare negari non poteſt. Neq; de iure
ſeu pœna iuris in præſentiarū quicquā agam,
hoc ſaltem à uobis iudicibus, in hac oratione

obtinere conabor, ut mecum sentiatis, Nicolaum non furtum, sed sacrilegium commisisse, quo euieto, tandem suo & loco & die, de iure & supplicio acturus.

CONFIRMATIO A DEFINITIONE

Quantum igitur ad meas probationes attinet, omnium iuris peritorum autoritate constat id dici sacrilegium, quo quis res sacras è loco sacro furatur, Voco autem res sacras, omnia illa bona, quæ in usum Ecclesiæ dicata sunt, & ut loquar cū Canonici iuris doctoribus, quicquid mancipatum est cultui diuino, ut Ecclesia et res Ecclesiæ. Vnde sacrilegium committi ueteres docuerunt, quando quis uel sacrum, de sacro, uel non sacrum, de sacro, uel sacrum de non sacro auferret. Quare optimi iudices, si hoc modo è iure citatas sacrilegij definitiones, proueris recipere, uti sunt uerissimæ, uolueritis, nullus plane restabit aduersarijs excusandi locus & nolint, uelint, coguntur Nicolaum sacrilegij reū esse, fateri simpliciter. Nec iuuabit eos quod in delegatoris animo consistant, quur & qua de causa pecuniam in templo contulerit, siue an uoluerit in Ecclesiæ usum cedere, siue nō, satis est nobis pecuniam illam in templo positam fuisse, & per Nicolaum è loco sacro surreptam.

A TESTIMONIIS LITERA- rum ipsius delegatoris.

Quanquam maioris certitudinis gratia, etiam num apud uos repositas habemus literas, quibus delegator illius pecuniæ, uerbis aper-
tis testatur, se non in hoc detulisse pecuniam in
templo, ut aliquando ad se reciperet, sicq; ipse
efficeretur sacrilegus. Hoc tamen non nega-
mus, pecuniam quidem tum prophanam fuisse,
quando locaretur in templo. At cessisse sta-
tim post repositionem in rem sacram. Hoc est
quod nos urgemus, quæq; ex re procedit tota
nostra probatio,

A CAUSA EFFICIENTE.

Et ut definitionem sacrilegij per causas ex-
plicem, ac certis argumentis probem, Nicola-
um sacrilegium commisisse. Porro sciendū est
sacrilegij causas efficientes esse. Subtractionē,
uiolationem, usurpationem & omnem irreue-
rentiam, seu dehonestationem rei sacræ. Qua-
re si argumentari uelim à causa, ea sequetur cō-
clusio, quam facile ab omnibus aduersarijs sal-
uam obtinebo. Videlicet, Nicolaum sacrilegi-
um perpetrasse. Quicumq; enim uel subtrahit,
uel uiolat, uel dehonestat tandem res sacras, is
sacrilegus apud omnes perhibetur. Nicolaus
italia fecit: Ergo Nicolaus commisit sacrilegi-
um. Maior non eger probatione, quæ extat in

sure fundata. Minor hoc habet scrupuli, ut ostendam illam pecuniam, quam amovit reus ex templo, sacram rem fuisse.

REPETITIO TESTIMONII à literis delegatoris.

Ad quod probandum in manus recipio, supra citatas delegatoris literas, quas simul cum pecunia sustulit Nicolaus, in quibus hæc verba tenentur: Præsens hæc pecunia, sub mea potestate profana, nunc ut in usum Ecclesiæ cedat, uolo. His uerbis quid apertius dici potuit? Nam id quod in usum Ecclesiæ datur, statim post delegationis uerba fit sacrum, post quæ, si uellet delegator recipere delegatum, nescirem an hoc posset sine sacrilegii nota facere. Quanto nunc minus effugiet sacrilegii nomen, qui peregrinus est, quiq; non delegauit aliquid, & illud ipsum post annos aliquot ad se recipit, sicut fecit Nicolaus.

CONCESSIO.

Esto, non sit pecunia illa delegata in usum Ecclesiæ: Tamen quia in templo posita fuit, & è templo sublata, Igitur iuxta definitionem supra citatam è Canonico iure, tale factum sacrilegium est, quod efficit non sacrum de loco sacro furatum.

A RELATIONE.

Probat quoq; institutum nostrum relatio fa

etiam ad res subtractas. Versatur enim sacrilegium circa res sacras & respectu subtractionis rerum sacrarum fit sacrilegium. Et quum hæc nunc à me probatum sit, subtractam pecuniam à Nicolao, rem sacram esse. Igitur nullo modo poterint aduersarii propter naturam relationis, aliter iudicare illud factum, quàm purum sacrilegium. Siquidem sacrilegus ille est, qui furatur sacra, etiam non sacra, hoc est, publico testimonio aliquo probata, ad usum Ecclesiæ pertinere, modo locus sacer sit, è quo submouetur aliquid.

COLLATIO FVRTI ET sacrilegij.

Hæc de probatione sacrilegij in facto Nicolai, ex definitione & causis. Nunc animaduerte optimi iudices, quid furtum sit, ut ex antithesi cognoscatis, quàm uera sit accusatio mea contra reum. Et quàm longe errent aduersarii, qui sine iudicio asserunt, Nicolaum simplex furtum commississe. Legista in digesto nouo, Titu. de furtis, in hunc modum definit furtum, quod sit abstractio rei alienæ, inuito domino, fraudulosa, lucrificiendi, uel ipsius rei gratia, uel etiam usus eius, uel possessionis suæ, quod lege naturali est prohibitum. Hæc definitio furti per se aperta est, neque eget interprete. Et dum addit uoces, ut ita loquar, differētiales, rei alienæ, inuito domino &c. Satis arguit Iurecōsultus quā

tum discrimen sit inter sacrilegiū & furtum.

AB EFFICIENTE CAUSA

furti & sacrilegij.

Et quātum ad causas attinet, neminem laet plus *ἢ ὁ Νικόλαος* furtū à sacrilegio discrepare, cum sacrilegium efficiāt rerum sacrarum subtractiones: furtum uero res prophanae è loco prophano surreptæ. Pecunia autem à Nicolao furata, dum auferret illam, res fuit sacra & in loco sacro posita: Ideo adhuc sequitur à causa efficiente, Nicolaus sacrilegium commisit, & non simplex furtum.

AB EFFECTIBVS.

Effectus uero sacrilegij & furti, licet per oia inter se consentiant, qđ sacrilegus & fur æque possint, hic res prophanas in suum usum conferre: Ille res sacras. Tamen quia illi effectus, diuersas habent causas efficiētes, natura dissidentes inter se: Igitur nunquam obtinebunt aduersarij, id quod optant ex coniūctione seu æqualitate effectuum, quod ideo sacrilegium iudicari debeat simplex furtum, quia effectus utriusq; ijdem sunt.

AB ABSVRDO.

Quid enim absurdius illa argumentandi ratione? Effectus furti est deferre ablata in proprium usum. Idem quoq; effectus sacrilegij est: Ergo sacrilegium est simplex furtum. Et uere

furtum simplex esset sacrilegium, nisi causæ efficiētes inter se discordarent: Idcirco nō possunt furtum & sacrilegium propter effectus unum esse.

AB AVTORITATE IVRIS- peritorum.

Prohibent etiam Iurisconsulti, ne temere cōfundamus res natura pugnantes, in eo, in quo operantur seu efficiunt aliquid, ne si existāt effectus æquales, pro æqualibus in potentia & finali causa reputentur.

AB AVTORITATE LEGISTARVM.

Stat quoq; pro mea sententia, communis legistarum consensus, quo unanimi consilio grauius iubent, ut in tractatione causarum caueatur, ne genus pro specie, & e contra species pro genere ponatur, qui inquit in speciem levis error, sæpe tamen & abducit à uero, & ius pœnæ uiolat, quem ut in puniendo Nicolao leuiorem sentiant aduersarij, contra auctoritatē Iurisperitorum & aduersus confirmatum ius, extenuant factum, & pro sacrilego, si dñs placet, furem simplicem moliuntur nobis:

EPILOGVS.

Hæc sunt grauissimi iudices, quæ uolui pro mea sententia cōtra Nicolaum dicere. Vestrū nunc erit, mecum ea probare, & iuxta illas leges sententiam pronunciare, quas Cæsares san-

cierunt & confirmauerunt, quas tota iuris consultorum schola probat. Tandem quas longa consuetudo & usus patriæ gentis, huc usq; nō sine sanguine à manibus factionum saluas retinuit.

Pars defensoris.

EXORDIUM.

In fabulis legitur, grauissimi iudices, rustici cum quendam in niue colubrum frigore prope modum enectum repperisse, illumq; domū detulisse, qui cum igni appositus, vires suas repperisset, atq; flammam ferre non posset, tandē omne tuguriolum sibilando infecit. Qua fabula ostendere uoluit Aesopus, illos plerūq; obesse nobis, quibus maxime benefecimus, et male de nobis mereri, de quibus bene sumus meriti, id cum hodie in multis uidere licet, præcipue tamen hoc ipsum in accusatore Petro uerum esse ostendam, qui non solum summis beneficijs semper adfectus fuit à Nicolao, quem præsens ita acerbe, ut nihil potis supra, accusauit, sed etiam à puluere, ab illo in summa honoris fastigia eleuatus. Obtestor itaq; uos iudices per intemeratā iustitiā, ut quemadmodum attēte præbuitis accusatori aures, ita attentius me defensorem audiatis, qui nihil noui aut remoti adferam, sed ea tantum, quæ uidebuntur ad rei ueritatem adeoq; ad falsissimorum argu

mentorum ipsius Petri reprobationem pertinere,
NARRATIO CVM CON-
 cessione facti.

Quod accusator adducit, iustissimi iudices,
 de subtracta pecunia, idq; è loco sacro, hoc nō
 negamus, factum enim omnibus constat.

PROPOSITIO.

At Nicolaum hoc facto sacrilegium com-
 misisse, hoc quidem pernegamus. Quis enim
 auderet contra leges Cæsareas & Canonicas
 sacrilegium defendere? Sed quia furti uocabu-
 lo appellandum uenit ipsum factum. Igitur de
 creui mecum sententiam aduersarij, quoad po-
 tero, infringere, certisq; argumentis ostende-
 re, Petrum accusatorem, non solum incognita
 pro cognitis attulisse, sed etiā pro ueris falsa.

PURGATIO.

Reus, quia pro Reipublicæ cōmodis, semper
 sua postposuit, ac studuit sedulo, ne ulla uis pa-
 triæ inferretur, propterea iam cogitur extre-
 ma ferre, quàm facile excusaret debita illi gra-
 titudo, nisi status nostrorum temporum aliter
 iuberet, ut ut sit, miser reus incogitantia potius
 quàm consentiente animo, in tantum malum
 delapsus est. Quem igitur fortuna hodie excu-
 sare non potest, neq; à supplicio liberare: Illū
 ego rei ueritate motus ut sacrilegum excusa-
 bo, tantoq; à uicio liberabo, reliqua disponen-

da relicturus summo deo, qui hunc calamitosum, procul dubio non patietur in futura perditum fore uita.

CONFUTATIO SEV DESTRUCTIO argumentorum accusatoris Petri.

A DEFINITIONE.

Porro quæ accusator pro basi suæ probationis alligat, de definitione sacrilegij è iure citata, ea non solum non improbamus, sed etiam in usum nostrum ac defensionem trahimus. Locus quidem sacer fuit, è quo subtraxit reus pecuniam. At illam pecuniam in usum Ecclesiæ fuisse datam, adeoq; sacram, illud quidem negamus.

NARRATIO ALTERA, QVA narrat quomodo pecunia in templum uenerit.

Sed ut percipiatis, iustissimi iudices, quæ pecunia per Nicolaum abstracta nō fuerit sacra, sed prophana, ut sic nostræ defensionis fundamentum ponamus, rem in hæc uerba paucis accipite. Accidit semel, qd̄ infensissimus Christiani sanguinis hostis, ipse Turca in Germaniam grassaretur, totamq; Austriam prorsus deuastaret, in qua tum habitabat quidam Martinus Dorophagus nomine, hic quia uidebat se unà cum bonis suis nullo modo posse effugere Turcæ manus, quare maiorem ob securi-

m

latem, aliquot nummorum milia, in templo clam deposuit, prefectibus etiam templi ignorantibus, appositis quoque literis, in quibus aperte testabatur, ut si in manus hostium incideret, et post obitum eius pecunia illa ab aliquo reperiretur, quod ea deberet in superstitum consanguineorum usum conferri. Vnde facile colligere potestis, iustissimi iudices, quod argumenta aduersariorum apertissima mendacia sunt ab accusatore, propter fidem boni uiri, excogitata.

A TESTIMONIIS LITERARVM
& ab inconuenienti.

Quomodo enim consentiunt hæc o aduersarij, delegator illius pecuniæ, uerbis apertis testatur se non in hoc detulisse pecuniã in templum, ut aliquando ad se reciperet, cum nostris his uerbis, quæ scimus in literis delegatoris posita esse, quæque paulo ante à nobis producta sunt: Si in manus hostium incidero, & pecunia post obitum meum ab aliquo reperta fuerit, tunc cedat illa in superstitum consanguineorum usum. Restat igitur adhuc accusatori ut probet depositam pecuniã in templo, sacram fuisse. Ea autem quæ interserit definitioni de sacrilegio, apud nullum Canonicum iuris peritum reperiuntur, nisi fortassis apud superstitiosum quendam monachum, qualis Innocentius Papa fuit, hic in eam stultitiam delapsus legitur, quod dixerit etiam illum sacrilegum esse,

qui non sacrum de loco tantum sacro furaretur. Talia autem bona, de quibus legitima definitio sacrilegij agit, non subtraxit noster Nicolaus, licet illa ad se receperit, quæ in loco sacro erant deposita, uidelicet prophana illa bona quæ præ metu delegator custodiæ non proprietatis gratia in templum detulerat.

A CAUSA EFFICIENTE.

Porro quæ producit ipse Petrus argumenta à causa efficiente, illa quoque nihil sunt. Quoties enim ille obiicit mihi sacrilegium, toties illi obijciam furtum. Et factum Nicolai manebit simpliciter furtum, donec probauerit accusator, sublata bona res sacras esse, quod nisi fecerit, nihil moror conclusionem à causa efficiente collectam, utputa illum esse sacrilegum, qui uel uiolat, uel subtrahit, uel dehonestat res sacras. Immo hæc pro reo faciunt, postquã Nicolaus adhuc nulla certitudine euictus est ab aduersario, quod res sacras abstulerit.

A RELATIONE.

Argumentum à relatione productum istius est ponderis, cuius sunt reliqua, quæ hætenus refutauimus. Idem enim & mihi à relatione fingerelicet. Furtum fit respectu rerum profanarum: Igitur Nicolaus furtum, non sacrilegium commisit. Et hoc argumentum eatenus ualebit, donec ostēdet accusator, sicut sæpe an-

tea dixi, subtractam pecuniā rem sacrā fuisse.

CONFUTATIO COLLATIONIS furti & sacrilegij.

Quæ uero adfert de collatione furti & sacrilegij ab antithesi, quæ quid ualeant, nemo non uidet, maxime quum nondum probarit scopū suæ accusationis, à quo pendet tota controuersia, uidelicet ut probet pecuniam ablatam, rem fuisse sacrā, definitio furti e digesto nouo producta, quantum non conuenit sacrilegio cum furto, bona est. Et nisi illam allegasset accusator, quæ quia pro me facit, ego enarrassem. Optime enim quadrat ad institutum nostrum ut sciamus eatenus differre furtum à sacrilegio, quatenus inter se non concordant uoces differentiales &c. Item bene facit accusator, dum tanta prudentia discernit furtum à sacrilegio, quo clarius innotescat uobis iudicibus, quā longe erret ille, qui reū accusat sacrilegij, nondum probato scopo, aut causa efficiente, quæ facit sacrilegium.

AB EFFECTIBVS.

Accusat etiam falso nos aduersarius, quod clanculum spargimus in uulgus, argumētum illud ab æqualib⁹ furti & sacrilegij effectibus. Nam ipsi eandem absurditatem ex æqualitate effectuum colligimus, quam accusator, qui nō minus scimus res natura, et ppter causas effici-

entes diuerfas, in idem recidere non posse.

AB AVTORITATE
Iuris peritorum.

Neq; ita ignari sumus legum & scriptorum eius, quod nescimus ipsas leges prohibere, ne temere confundantur res natura inter se dissentientes, in eo, in quo operantur aut efficiunt aliquid, quæ quidem sciuius, antequam accusator legum prima exordia gustaret. Neq; etiā sequitur, nos contra legistas peccare, quia subtractionē rerū prophanarū furtū simplex uocamus, furtū genus aliàs ab ipso sacrilegio specie separantes. Videat accusator, quomodo se corā uobis peritis legū iudicibus explicet, qui sacrilegio tanquam specie, pro ipso furto, generali uoce utitur, ut speciem extollat, ac sic reo maiorem pœnam, quàm quæ decet furem, adiungat. Nos nihil minus cogitauimus, quàm quod uellemus prædicabilia confundere & illis ad extenuandum supplicium abuti.

EPILOGVS.

Concludimus itaq; post omnium argumentorum solutionem, nostrum Nicolaum non sacrilegium, sed simplex furtū cōmisisse, quippe qui bona prophana, licet è sacro loco, abstulerit. Quare obtestamur uos, sanctissimi iudices, quo causam utrinq; propositam, diligēter perpendatis, reiꝑ ueritatem sufficienti sententia proclametis.

De contrarijs legibus.

Contrariarum legum status est, cum faciūt controuerſiam contrariæ leges, ut qui furtum committit, quadruplum reſtituet. Et fures ſunt ſuſpendendi.

De diſpoſitione huius ſtatus.

Primum ſtruendum erit exordium, quod ſequetur legum recitatio, quæ eſt narrationis & propoſitionis loco. Deinde uidendum eſt, nūquæ abrogatio aut derogatio adſit. Itē, utrum leges ita diſſentiant, ut altera iubeat, altera uetet, an ita, ut altera cogat, altera permittat. His cōſideratis ſequitur expoſitio legis noſtræ. Itē collaudatio illius, qui legem condidit, tandem uoluntas ſentientis ad noſtram cauſam trahenda eſt. Poſt hæc accerſendi ſunt loci iuridiciales abſoluti, qui de iure nos certos faciunt.

Loci confirmationis & confutatiōis.

Confirmationis & confutationis loci ducuntur ex cauſis efficientibus. Lex enim habet auctoritatem ab efficiente cauſa. Hinc ſunt regulæ
Lex inferior cedit ſuperiori: Lex ſpecialis derogat generali: Lex humana cedit diuinæ: Leges ueteres corriguntur nouis. Ducuntur etiā ex materia, hoc eſt, ex iſtis legibus, ſi cum ratione conſentiant aut pugnent.

III
Paradigma.
EXORDIVM.

Accidit ante paucos dies, ornatissimi iudices, quod super suspensione Ioannis Museli uarie disputatū sit, et post longam disputationem à communi populo conclusum, ne fures amplius suspendi debeant, sed iuxta Mosaicam legem puniendi, uel ubi fur non habet, quo satisfaciat pro ablatis, ut ille ad perpetuam seruitutem nostræ ciuitati reseruetur. Et quanq̃ aperta exempla aliarum urbium, de his nos docere ac instituere possint, quod nostrorum consilium non solum improbū sit, sed etiam uanum, & ad seditionem paratum. Tamen quia hodie nulla neq; commodi neq; incommodi exempla nos mouent, placuit ad confirmandam suspensionem furum, leges de furto, aut potius receptam consuetudinem, cum legibus Mosaicis conferre, ut uideat communis plebecula, quàm longe erret, dum uult nos ad Mosen adligare, & suspensionem tantum ob maiorem libertatem è publico usu tollere. Et quum uestri officij sit, iudices, uidere, ne in legibus temere aliquid mutetur, scientes correctionem legū, raro sine sanguine fieri alijsq; periculis. Quæso ut me patienter audire uelit, & ius uestrum in suspēdendis furibus, nullo modo in uulgi manus permittere,

RECITATIO LEGVM.

Leges de quibus controuersia est, hæ sunt:
 Qui furtum committit, quadruplum restituet.
 Altera: Fures laqueo supēdi debent. Quantum
 ad usum attinet, hæ leges plane inter se cōtra-
 riæ sunt, ita quod una iubet, uetat altera. Iā ue-
 ro quia inter se dissentiunt prædictæ leges, do-
 cet nunc ut illas uel reconciliemus, uel ambas
 ueras esse secundum circumstātiās probemus,
 non prorsus extinguamus eas, more indomitæ
 plebeculæ, quæ nihil cum iudicio facit. Prior
 itaq; lex ad Mosen pertinet, adeoq; ad popu-
 lum Israëliticum, cuius legislator Moles fuit
 Et durauit illa, donec staret regnum Israëliti-
 cum, quo abrogato, cœperunt simul inter-
 ire omnes leges Mosaicæ, exceptis illis, quæ
 cum lege naturæ conueniunt, quas serua-
 mus, non tanquam à Mose profectas, sed à
 natura omnibus hominibus implantatas. Et
 quia nos quoq; politiam habemus, quæ ut ser-
 uetur, magistratus constitutus est, qui potesta-
 tem habet condendi & sancienti leges, ut sic
 omnia tranquillo in statu consistere queāt. Hic
 igitur magistratus noster non Mosaicus, non
 ex se quidem, sed ex præscripto naturæ, q̄ sem-
 per sollicita est pro humanæ societatis conser-
 uatione, instituit quod fures suspendi debeant,
 quo pax & tranquillitas in mundo consiste-
 ret, quod non fieret, si unicuiq; liceret, pro uo-

Iurante in alterius bona grassari, & ea ad se pro arbitrio accipere. Quare hodie standū est ulitatio atque recepto iure in nostra politia. Deus enim illud ius non minus quā ipsum magistratum approbat.

CONFIRMATIO.

Quid igitur hac lege nostra, de suspendendis furibus honestius? quid utilius? quæ in hoc à magistratu constituta est, quo per illam publica pax seruetur, & cuius beneficio unicuique sua bona salua maneant. Iustinianus Imperator si non ob alias maximas suas uirtutes dignus esset, qui celebraretur immortalitatis nomine, tamen uel hoc nomine posset sibi nō perituram gloriam addere, quia Romanum imperium dissolutum fere & perditum dissensionibus, partim nouis legibus, partim ueterum legum correctione in tranquillitatis statum reduxit. Ideo sane non exiguam etiā immortalitatis partem sibi uendicat magistratus, qui primus instituit suspensionem furum, ne turbaretur pax publica, & humana societas dissolueretur, quæ constare non posset, si liberum esset furari, ut interim taceam, quod furti permissione aperiretur fenestra agendi & sæuiendi contra naturā, cui infertur uis, quando alter alterum lædit. Hoc autem ne fieret, lata est lex de suspendendis furibus. De æqui & boni suppressione quoque nihil dicam, quæ consistere nullo modo possent

si concederetur furtum. Postquam æquitatis est, prodesse omnibus, & nocere nemini. Bonum uero nihil est, nisi id quoque sit cum honestate ac communi utilitate coniunctum. Fortassis non per omnia malum esset, reuocare leges Moysis, de quadruplici restitutione, sicut nunc uulgus reuocauit etiam, sed quia non est utile, cum propter peruersissimos hominum mores euitandos, tum propter alias circumstantias. Igitur negligi illa lex debet. Et quàm nō displicet etiam ipsi deo lex de suspensione furum, satis licuit ex abrogatione quarundam urbium uidere, quæ publicis literis per suas ditiones ante aliquot annos publicauerant, ne amplius suspenderentur fures, sed comprehensi ad publica seruitia adhiberentur. Verū breui postea factum est, quod nullus esset furum numerus. Necessitate itaque coactæ illæ urbes, & tacita dei uoluntate, legem de suspensione reuocarunt. Id futurum quoque spero, ubi nostra plebecula sentiet sui instituti fructum, quem certo secuturū scio nisi uos iudices, consilium uulgi abrogaueritis. Et quāto hoc ocyus, tātō melius, ne ubi postea uelitis, propter furū multitudinem nequeatis.

CONFUTATIO.

Nec timenda sunt eorum argumenta, qui contra ius naturæ esse aiunt, suspendere fures. Illi enim non intelligunt quid sit ius naturæ. Nimirum talis regula, quæ cordibus humanis in-

scripta, docet humanam societatem conseruan-
dam esse. Quæ quomodo seruabitur, ubi pmit-
tetur occasio furti? Neq; contra æquitatem est,
perimere fures propter caduca & temporalia
bona, sicut illi ganniunt, qui moliuntur nobis
perniciosa ab omnibus legibus libertatem.
Siquidem suspensione furum cauetur, ne læda-
tur aliquis, quod proprium est æquitatis officii-
um. De atrocitate imprudenter queruntur mul-
ti, quam legem de suspendendis furibus habe-
re uociferantur. Quæ enim hæc est atrocitas,
furandi desiderium ac nocendi alijs temerita-
tem morte punire? **EPILOGVS.**

Quare optimi iudices, rem hac hora uobis
propositam, diligenter perpendite, ne cū uulgi
importunitati aliquid concedatis, totā uestram
Rem publicam perdatis.

De scripto & sententia.

Scripti & sententiæ status est, quando sen-
tentia uel uoluntas scriptoris à scripto uel à le-
ge dissentire uidetur.

LOCI CONFIRMATIONIS ET CONFUTATIONIS huius status.

Confirmationes & confutationes in Eccle-
siasticis negocijs ducuntur ex testimonijs scri-
pturæ clarioribus. Interim tamen adhibendi
sunt loci Dialectici. In foro & negocijs, quæ ra-
tione iudicantur, absurditas est, si quid à ratio-
ne dissentit, aut recepto iure. Quare leges & ra-
tiones adferendæ sunt, quæ ostendant opinio-

nem aduersariorum absurdam esse . Hic iterū eundum est ad locos Dialecticos.

De dispositione huius status.

A scripto qui dicit, posito exordio scriptum recitabit. Mox scriptorem laudabit. Deinde collatione utetur, in qua scriptum nostrum, summa diligentia exaratum, cum excogitata & ficticia aduersariorum sententia, quam scripto adtribuunt, conferet. Eam quoq; hic contemnere, ac infirmare decebit. Postea quæret, quid ei obfuerit, si id uoluisset adscribere, aut non potuerit perscribere. Post hæc à nobis sententia rependienda est, & causa proferenda, quare id scriptor senserit, quod scripserit, ac demonstrabitur scriptum illud esse dilucide, breuiter, cōmode, perfecte, & certa cum ratiōe . Vbi etiam exempla proferenda sunt, & ostendendum quā periculosum sit à scripto recedere.

A sententia, qui dicit statim post exordium scriptum, è quo oritur controuersia de sententia, recitabit. Deinde commoditatem breuitatemq; scriptoris laudabit, qui tantum scripserit, quod necesse fuerit, id quod sine scripto intelligi potuerit, non necessarium scribendum putarit . Deinde dicet calumniatoris officium esse, uerba & literas sequi, & negligere uoluntatem. Deinde quod scriptum sit, aut non posse fieri, aut non lege, more, non natura, nō æquo & bono posse fieri, quæ omnia scriptorem uo-

uisse ostendet. Post hæc contrariâ sententiam proferet, & aduersariorum sententiam, aut nullam, aut stultam, aut iniustam, aut non posse fieri, aut non constare cum superioribus & inferioribus sententijs, aut cum iure communi, aut cum alijs legib⁹ communibus, aut cum rebus iudicatis dissentire. His addenda sunt exempla cum enumeratione iudicatorum.

Paradigma in quo defenditur sententia uera de uerbis Cœnæ.

EXORDIUM.

Vere inquit, ornatissimi uiri, iuvenesq; studiosissimi, qui tempora præbere argumenta, non artem sentiunt. Hæc enim pro uicissitudine rerum, nunc alias atq; alias occasiones supeditant, manente interim eadem arte, qua explicantur res temporis successu nouiter inuentæ. Sic neq; ego, neq; quisquam alius unquam cogitasset, qua ratione esset occurrendum falsis scripturæ interpretibus, nisi hodie tempora occasiones unâ cum ipsis rebus subministrassent. Et cum iam unus in hoc laboret, ut Papistis negociû faciat: alius, ut Anabaptistas confodiat: tertius, ut furiosos Evangelicos reprimat. Ego ne ab illorû & animis & opere, quam impari studio, deflectere uiderer. Porro institui cum Archifanaticis illis spiritib⁹, quos Sacramentiperdas uocare hic libet, pro mea ui

rii agere. Quanquam non sum inſcius, antè, plures alios fuiſſe, qui longe acutius & diligenter hoc ipſum præſtiterint. Tamen quãdo res ſacræ ad omnes Chriſtianos ex æquo pertinet non timui poſt Martinum, Pomeranum, Bren- tium, aliosq; complures magni nominis theo- logos, cum hoſtibus ſacramenti, ueri corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti in hare- nam conſcendere.

PROPOSITIO.

Tractabo autem ſententiam uerborum cœ- næ dominicæ, quam uolente deo ita ſaluam ab aduerſarijs eripiam, ut niſi aduerſarij cõtra con- ſcientiã calcitrare uelint, cogantur maleſanam ſententiam ſuam poſthabere, ac mecum certif- ſimam illam ſententiam apprehẽdere, quã nos unã cum ueteri Eccleſia, adeoq; Apoſtolica te- nemus ualidiſſimam.

COMMENDATIO SCRIPTO-

rum ipſius ſcripti.

Qui locum ſcriptum de uerbis cœnæ relique- runt tres Euangeliftæ ſunt, quibus & electum illud uas diuus Paulus adſtipulatur, quos oim Chriſtianorum iudicio, ex ſpiritu ſancti ore ſcripſiſſe, certũ eſt. Hi ut in Verbo uere edocti ac fideles diſcipuli Chriſti, procul dubio præ- ceptorem ſuum in omnibus diligentiffime ob- ſeruauerunt, & quid diceret, & quid faceret, ne

latum quidem culmum à ueritate discederent, si forte post obitum Christi illa & uerba & facta mundo proponere deberent. Quare etiam summa diligētia uerba cœnæ conscripsisse eos nemini est dubium, ut facile perspicitur hoc ipsum, cum in perspicuitate, tum breuitate uerborum, quæ licet pauca sint numero, tamen illa aperta sunt, ut uel à puero intelligi etiam recte queant.

**RECITATIO SCRIPTI ET
ueræ sententiæ confirmatio.**

Consistunt uero uerba, è quibus aduersarij peruersam suam sententiam eliciunt, in his sequentibus: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. His uerbis fanatici quidam spiritus, præter morem Apostolorum omniumq; ueterum Theologorum fidem, e mentitam ac longe quidem accersitam sententiam attribuunt, in hoc, quod uideri uelint, quasi ipsi primi rem nouā adeoq; dignam admiratione inuenerint. Sed quæso tandem, quæ est res illa noua, & digna admiratione? an quod docetis panem esse simpliciter panē, uel externum quoddam signum? Scilicet noua ista sunt? quæ alij itidem non possent uidere, neq; uiderunt ante aliquot secula, nisi simplex ac certum dei uerbum, adeoq; institutum Christi nos aliter credere cogeret. Mirum est sane posse uos in tanto errore diutius persistere: Cū ta-

men Euangelistæ & apostolus Paulus, simpliciter panem uerum corpus Christi esse, non representari, & calicem sanguinem Christi esse, non significare dicant, ut ne uerbulo propemodum in hac re dissentiant. Certe si uestro more panis ac uinum non essent reuera, quod uerba sonant, sed significarent tantum: Id certe non prætermisisset Apostolus, quin explicasset clare, cum alioqui eo ingenio sit præditus, quod omnia alio sermonis genere ac maiore perspicuitate, quàm reliqui, exponat: Vt interim hoc quàm sit absurdum, taceam, quod ideo non sit in pane Christi corpus, quia in cælum ascendit: Imò quia Christus ascendit ad cælos: Sedet ad dexterā dei patris: Ideo necessario uerū corpus Christi est in pane, quia iam æquo non solum efficax spiritu, sed et ubiq; corpore p̄sens adest non aliter atq; dextra Patris. Aut enim oportet uos dexteram seu potentiam Patris certo loco adstringere, aut necessario oportet uos cōcedere, panem esse uerum corpus Christi, et calicem uerum sanguinem: Aut oportet uos negare fidei receptū articulum, quod sedet Christus ad dexteram dei Patris. Christi enim uocabulo non separamus personas, sed intelligimus Christum totum deū & hominem ex uirgine natum, ut nisi hæc esset potentia Christo à creaturis exuscitato, quod quæso miraculum aut qui esset usus, quod in cælum ascendit, &

sedet ad dexteram Patris? An putatis uos forte ociosum ipsum spectatorem rerum mortalium, sedere supra nubes? Quemadmodum Iupiter describitur ab Homero & Luciano. Sed obsecro diligenter perpendite, quantum periculum sit, à simplici sententia recedere, ac scriptum, propter nouam sententiam eliciendam, tropis inuoluere? Origenes magni nominis Theologus nunquam incidisset in stultas illas ac pestilentes hæreses, adeoque in coactam illam obscuritatem, quam ne ipse quidem explicaret, si daretur ei è mortuis redire, nisi plus æquo studuisset allegorijs atq; tropis. Tertullianus, quia amator troporum fuit & allegoriarum, ideo suspecti Theologi nomen adeptus est. De stultitia & scurrilitate scholasticorum hic uerba facerem, nisi illa ipsa satis toto mundo inclaresceret. Porro si non alia essent argumenta, quæ nobis doctrinam de sacramento suspectam redderent, tamen uel hoc unum, merito facere deberet, quia in simplici oratione non utitur simplici sententia, idque ueterum hæreticorum more, qui semper anxie & remote quæsiuerunt sua, nunquam contenti simplicitate. Quæ peruersitas transferendi simplicis scripti sententiã in aliam atq; aliam, olim etiam Porphyrio occasione præbuit irridendi Christianam doctrinam, qui uidebat hæreticos pro arbitrio in aliis atq; alios sensus, non aliter atq; poetæ fabu-

las, transformare scripturam. Est quoque iniustus interpretis officium, modouos superbi spiritus digni sitis interpretis uocabulo, qui potius obfuscatis scripturā, quā redditis illustriorem, quod adducitis ē ueteri Testamento locos, ad confirmandam uestram sententiam, de negotio sacramenti, in nouo Testamento instituti, cum tamen huius signi institutio ex ueteri nullam trahat originem, nisi quantum ad typū at-
tinet. Sed non mirum est hæc uos agere, cum olim ab omnibus hæreticis factitatum id lega-
tur, qui ad similem modum studuerunt longe quæ sitis argumentis, obscuris & lesquipedali-
bus simplicem auctoris animum capere. Et ut genuinam ac ueram sententiam ē scripto uer-
borum Cœnæ eruā: Credimus simpliciter his uerbis: Accipite & comedite &c. Christum ue-
rum suum corpus, non figuratum, aut phanta-
sticum, neq; diuinitatis tantū corpus, suis apo-
stolis in cœna dominica porrexissē, quodq; ut nos, quoties ad communionem accedimus, ue-
rum eius corpus accipiamus. Et sicut apostoli per fidem, quam in hæc uerba habuerūt, quod pro uobis datur, & effunditur in remissionem peccatorū &c. suorum delictorū ueniā sunt adse-
cuti: Sic & nos per fidem adsequamur. Hæc sen-
tentia instituentis Christi est, atq; scribentium Euangelistarum fuit, teste etiam Paulo, illam ipsam sententiam. I. ad Corint. II. confirmante,

quibus & ueteres scriptores omnes ad stipulan-
 tur. Et ut aliquot illorum apertiores sententias
 adducam, Tertullianus sic scribit de resurrecti-
 one carnis: Caro nostra corpore & sanguine
 Christi uescitur, ut & anima de deo saginetur.
 Cyprianus lib. 1. Epist. cap. 2. Dicit se prælian-
 tes pro ueritate corporis & sanguinis Christi
 protectione munire. Item Hilarius lib. de trini-
 tate ait: Si uerbum caro factum est, & nos uere
 uerbum carnē cibo dominico sumimus, quo-
 modo non naturaliter in nobis æstimandus
 est? Quas Patrum sententias unā cum reliquis
 miro artificio ac dolo ad suam falsissimam sen-
 tentiam detorquent aduersarij. Sed deo gratia
 qui hætenus pro benigna sua uoluntate sancto
 suo ac simplici uerbo & integritate Patrū scri-
 ptum nostrum ab iniuria troporum defendit,
 sententiamq; nostram ut Christianam ac piā
 cōtra omnes falsos doctores seruauit inuictā.

CONFUTATIO.

Neq; ualent hic aduersariorum argumen-
 ta, quæ ex quatuor quæstionibus colligunt:
 Nimirum, an Christi corpus finitum sit? Vn-
 de eliciunt: Si finitum est: Ergo non potest
 corporaliter esse in sacramento. An Christus
 per omnia fratribus similis factus sit? Vnde sic
 colligunt: Si Christus per omnia similis factus
 est fratribus: Ergo habet eandē, quā fratres sui
 carnem. Hæc autem non sentitur, nec teritur

dentibus in sacramento: Ergo Christi corpus non adest corporaliter. Tertia est quæstio: An corp⁹ aliquādo glorioso corpori Christi æquale futurum sit? Vnde probant: Si Christus gloriosum corpus habet: Ergo nō carnale aut corporale. Quarta est, An Scriptura iuxta analogiam fidei interpretanda sit, hoc est, ut illi exponunt spiritualiter? Hinc argumentantur Christum spiritualiter esse in sacramento, non corporaliter. Nam inquit nō esse uerisimile scripturæ, Christum corporaliter in sacramento esse. Ach bone deus, quā astuta sunt hæc, & præter humanas speculationes aliud nihil. Istamen deus, qui permittit miseros illos homines ita cæcutire in sacramento fidei, is etiam *sine dubio* dabit nobis tela spiritus, ualentia cōtra tam callida argumenta satanæ. Respondeo itaq; ad primam quæstionem simpliciter, illā esse prorsus hæreticam, quia colligit Christi corpus finitum esse, hoc est, cessasse, quum tamen nos uere ac pie credimus iuxta articulum fidei, Christum uerum deum & hominem sedere ad dexteram dei Patris, & hoc nisi uerum esset, obsecro, quod foret miraculum Christum ascendisse in cælum? Tale igitur corpus, sedens ad dexteram dei Patris, credimus iuxta uerba Christi: Hoc est corpus meum &c. in sacramento esse. Quomodo uero & qualiter, meum nō est ulterius disputare, qui credo uerbis Christi.

Secunda quæstio à finali causa soluitur in hunc modum: Christus instituit sacramentum, ut fidei signum sit: Ergo etsi adsit uerum corpus Christi, tamen non est tale corpus, postquam glorificatum corpus est, quod ulterius aut rationi expositum sit, aut quod dētibz inter edendum sentiatur. Ad tertiam breuiter sic respondemus: Verum esse Christum habere gloriosum corpus. Sed tale esse illud, quod ex diuinitate & humanitate constet. Non enim separamus personas, ita quod Christus nunc sedet ad dextram Patris, uerus deus et homo, non deus tantum, sicut docet ἀλλήωσις Cingliana, seu spiritualis simpliciter persona. Quarta quæstio facilis solutionis est, cognita absurditate, quæ ex falso intellectu sententiæ Paulinæ colligitur. Apertus enim sensus est uerborū Pauli ad Romanos. 12. Siue prophetiam, iuxta analogiam fidei, quibus uult omnem nostram doctrinam cum fide conuenire, ne quid doceamus, quod possit repugnare fidei. Nō uult totam scripturam esse spirituales, ut illā tantum doctrinam sanam esse, quæ spiritualiter intelligatur, sicut impudentissime nugantur circa hunc locum. Est itaq; hic locus probe intellectus pro nobis & contra Cinglianos, qui in fidei sacramento, credimus esse uerum corpus Christi, ac uerum eius sanguinem. Nam caro & humana ratio ad fidei sacramentum non requiruntur, sed ipsa fi-

des, quæ credit, idq; propter uerbum Christi,
quæ non uidet neq; palpat.

EPILOGVS.

Constat repetitione propositionis & quorundam argumentorum. Item cōmotione affectuum.

De statu ambiguo.

Ambiguus status est, cum ambigū ad duas pluresve sententias trahitur.

LOCI CONFIRMATIONIS & confutationis.

Ad confirmationem & confutationem requiruntur loci Dialectici. Nam ambigua definitionibus & diuisionibus soluuntur.

De dispositione huius status.

Exordium sequitur recitatio scripti, in quo ambiguum uersatur. Cauendum autem est, quod nō aliud ambiguum sit in scripto, quod ubi perceperis, demonstrandum est illud non esse ambiguum. Deinde dices aduersariorū interpretationem nihil ualere. Nam si scriptor illud fieri uoluisset, quod aduersa pars elicit, procul dubio, adncere potuisset. Tandē docendum est, nostram scripti interpretationem, & fieri posse, & honeste & recte, & lege et more, et natura, & bono & æquo.

Paradigma status ambigui.

EXORDIUM.

Rogatus ad uos uenio, humanissimi iudices, patrocinium ueræ causæ suscepturus, idq; meo de more, qui à iuuenilibus usq; huc annis, semper consueui ueritati adhærere, atq; in illis forensibus negocijs me oblectare, quæ ueri multum, parum autem lucri haberent. Et quia hæc famam mihi præ diuitijs selegi omnibus, spero uos facile iudicaturos, quo animo nunc coram uobis appareo. Nimirum adiuturus proximum, quem deus iuuandum præcepit, ut sic ex æquo omnes in tranquillitatis statu seruemur, sequentes publica, rebus in dubijs, iura, ne uinculum illud naturæ, de non ledendo altero prorsus intereat, aut in nihilum redigatur. Oro itaq; ut me quietis animis & auribus sedulis audiat.

RECITATIO SCRIPTI.

Porro controuersiam ut percipiat breuiter, sic se res habet: Ioannes Frobenius moriturus, in testamento reliquit scriptum: Nullus est nepotibus ad hæreditatem post filiorum hæredum obitum admittatur, sed ea quæ supersunt bona in sacræ religionis usum cedant.

CONFIRMATIO.

Qui hoc scriptum post se relquit, non mediocris prudentiæ uir fuit. Hic fortassis in sua uita edoctus exemplis, uoluit suum scriptum clavis & dilucidis uerbis posteritati tradere. Nam ui

dit sæpe post testatorum mortem propter obscura quædam in testamentis uerba, magnam oriri iragœdiam. At dum altercationibus res agitur, fit ut pereat ueritas, atq; testatoris uoluntas. Clare itaq; expressit nepotes sanguine coniunctos ab hæreditate post filiorum mortē coercendos esse, ea conditione, ut relicta à iustis hæredibus bona, in usum religionis cederent. Quare satis mirari nō possum, quur manifestis hisce uerbis aduersarij ambiguitatem inesse dicant, ac per nepotes luxuriosos homines intelligant, quos aliàs nemo ad suam extremam uoluntatem admittit. Quis enim uoluptuosis lurconibus sua bona abligurienda in testamento delegaret? in quo summo iure præcauetur, ne quid male collocetur. Verū si licet ex integro scripto unum aut alterum uerbum excerpere, ac antecedentia cum consequentibus negligere, hac quidem ratione, nullū scriptū unquam in sua sententia permanebit. Certum itaq; est, hanc scripti clausulā: nullus ē nepotibus post filiorum hæredum obitum ad hæreditatem admittatur &c. de illis nepotibus loqui, qui iure quodammodo hæredes in successionē hæreditaria sequi deberent. Nisi testator Frobenius in suo testamento præcauisset. Alioqui qd opus fuisset hæc uerba ponere: Post filiorum hæredum obitum &c. Præterea non semel ex testatoris ore audiui, sed sæpissime, quæ causa fuerit